2

DISSERTATIO MEDICA

DE

THERMARUM CAROLINARUM USU IN ARTHRITIDE,

QVAM

GRATIOSI ORDINIS MEDICI AUCTORITATE

PRÆSES

POLYCARPUS GOTTLIEB SCHACHERUS,

PHILOS. ET MEDIC. DOCT. PHYSIOLOG. P. P. ET COLLEGII MEDICI ASSESSOR,

ET

RESPONDENS

M. CHRISTIAN. FRID. BOETTGERUS,

MED. BACCALAUR.

AD D. XIX. APRIL. A. MDCCIX.

LOCO HORISQVE CONSVETIS PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTENT.

LIPSIÆ,

LITERIS HÆREDUM BRANDENBURGERIANORUM.

Synopſis univerſæ Diſſertationis.

§.I. USum thermarum Carolinarum in arthritide curatius perveſtigare, arduum eſt.

§.II. *Ad pleniorem arthritidis naturam cognoſcendam, ſymptomata, eandē antecedentia, enumerantur.*

§.III. *Mala, morbum articularem comitantia, recenſentur, & ſimul ſubjectum & diviſio ejus proponitur.*

§.IV. *Symptomata, morbum profligatum inſequentia, exponuntur.*

§.V. *Præmiſſa morbi hiſtoria, antequam cauſæ arthritidis proximiores examini ſubjiciantur, procatarcticæ ſenſibus magis obviæ præmittuntur, & ſpeciatim inquiritur, an ortus mali illius quandoque parentibus, ſimili affectu laborantibus, debeatur?*

§.VI. *Aer, particulis acribus turgidus & intenſe frigidus, quid ad arthritidem progignendam contribuat, disquiritur.*

§.VII. *Ciborum potusq; abuſum eidem malo fomitem præbere oſtenditur.*

§.IIX. *Veneri excedenti ſimilem effectum tribui probatur.*

§.IX. *Menſium fluxui, mictioni, aliisve excretionibus, quibus natura adſuefacta eſt, impeditis idem adſcribitur.*

§.X. *Nec animi pathemata excludenda eſſe demonſtratur.*

§.XI. *Motum, quietem, ſomnum & vigilias ſuam quoque ad arthritidem producendam ſymbolam conferre, rationibus firmatur.*

§.XII. *Lui venereæ, dyſenteriæ ſimilibusque affectibus morbum articularem interdum ſuccedere, adfirmatur.*

§.XIII. *Præmiſſis cauſis procatarcticis, proximiores examini ſubjiciuntur, quarum duæ recenſentur, una in ſanguinis dyſcraſia, altera in ſpeciali articulorum diſpoſitione conſiſtens, quarum illa ſpeciatim ad examinis incudem revocatur, & ex eadem ſymptomata, morbum articularem antecedentia, deducuntur.*

§. XIV. *Ex illa ſangvinis dyſcraſia porro ſymptomata, morbum præſentem comitantia, derivantur, & paulo ſpecialius in illius naturam inquiritur.*

§. XV. *Tandem ex eadem ſanguinis intemperie mala, arthritidem profligatam inſequentia, deducuntur.*

§ XVI. *Dyſcraſia ſanguinis expoſita, & quibusvis pene arthritidis ſymptomatibus ab eadem deductis, altera cauſa proximior, in ſpeciali articulorum diſpoſitione conſiſtens, examinatur, hujusque occaſione partes articulorum, huic malo obnoxiæ, indigitantur, earundemque ſpecialis ad morbum articulárem conditio ponderatur.*

§. XVII. *Signa diagnoſtica, cum facile ex data morbi deſcriptione haberi queant, omittuntur, prognoſtica vero in* §. 21. *commodius proponentur. Quare ad uſum thermarum eo melius ante oculos ponendum, earundem natura exponitur, & variis experimentis illuſtratur.*

§. XIIX. *Argumenta eorum, qui uſum thermarum Carolinarum impugnant, deſtruuntur.*

§. XIX. *Thermas noſtras curativis indicationibus, in medela morbi articularis obſervandis, apprime ſatisfacere, oſtenditur, & ſimul modus earundẽ operandi declaratur.*

§. XX. *Uſus thermarum Carolinarum in arthritide pluribus obſervationibus confirmatur.*

§. XXI. & XXII. *Cautelæ, ante thermarum uſum animadvertendæ, proponuntur, earumque occaſione de eventu morbi articularis & curæ futuræ ſolerter prædicendo agitur.*

§. XXIII. *Varia, ad potationem rite inchoandam & pertexendam ſpectantia, indigitantur, & ſimul disquiritur, an durante aquarum potatione aliquando medicamentis ſimul uti deceat?*

§. XXIV. *Cautelæ, ad balneum pertinentes, conciſe explicantur.*

§. XXV. *Diætæ ut quilibet arthriticorum ſtudeat, monetur, & cautelæ poſt uſum thermarum obſervandæ, proponuntur, clauſulaque Diſſertationi imponitur.*

§. I.

§. I.

DUm animus eſt uſum thermarum Carolinarum in arthritide paulo curatius perveſtigare, ſane rem non levioris momenti, ſed ſpinoſis difficultatibus undique cinctam aggredior. Quippe ſicuti arthritidis naturâ obſcuris tenebris eſt obvoluta, ac cauſæ ejus proximiores determinatu admodum ſunt arduæ, medendique methodus ſumme prolixa & incerta obſervatur; ita thermarum noſtrarum ſcaturiginem nonniſi doctis conjecturis aliquantum aſſequimur, atque naturam earundem non contemnendis experimentis illuſtramus quidem, aſt vix ac ne vix quidem omnimode determinamus, neque vero in uſu iisdem tribuendo Medicos unanimes animadvertimus atque concordes; namque eundem nonnulli ad ſydera usque extollunt, alii vero non adeo magnifice de eodem ſentiunt, aut ipſum prorſus inſuper habent acriterque contemnunt. Cum itaque quot ſententiæ, tot etiam nodi ferme inveniantur Gordii, ad quos extricandos ſummis etiam Medicis aqua hærere poterit, profecto valde metuo, ut ego arduo huic operi par ſim atque idoneus. Quoniam vero telam jam dum exorſi ſumus, huic pertexendæ ſummum ac omnipotens Numen, cujus potentia & clementia infinita ex ipſis thermis abundantiſſime eluceſcit, pro ſumma ſua bonitate largiter ut adſpirare velit, ego cordicitus voveoque ac opto.

§. II.

Antequam de inſigni thermarum uſu quicquam dicam, liceat arthritidis naturam clarius paulo exponere. Hæc enim non ſemper eandem præ ſe fert faciem, ſed varias admodum tragoedias in corpore morboſo ludit. Proinde, ut genius ejus luculentius innoteſcat; ſtudioſe rimabimur, quæ ingratum illum hoſpitem præcedunt, quæ præſentem comitantur, quæque mitigatum profligatumque inſequuntur. Antequam infenſiſſimus

mus ille hoſtis aperte cruciandos adoritur, ſubinde horror eosdem invadit, ut febriculam ſubeſſe credas, quandoque involuntarias artuum pandiculationes ſentiunt, & frequenter oſcitant, alii de capitis gravedine ac ſtupiditate conqueruntur, hincque ad munia ſua rite obeunda minus ſunt apti, interdum accedit vertigo, aut ſomnolentia inſueta, cum alii e contrario vigiliis juſto diuturnioribus divexentur, in ſomnum vero prolapſi expaveſcunt non raro, aut turbulentis inſomniis torquentur. Vigilantes plerumque ſunt ſitibundi, & juſto largiorem alimentorum copiam appetunt, quæ alii haud parum averſantur. Alvus iis eſt ſegnis atque adſtricta, ac lotium excernunt nunc pellucidum nunc impurum. Ordinarie vero modo torporem, modo dolores obtuſos, vel lancinantes, aut tenſivos promiſcuo tempore, maxime tamen nocturno jam in unum ſaltem, jam in plures articulos ſimul invadentes, ac ſubinde non diu durantes, nec adeo moleſtos ſentiunt. Raro autem ſine uno alteroque ſymptomate præcedente ex improviſo furioſum in modum articularis morbus appetit mortales, quod in iis fieri aliquando obſervamus, qui non ſimplici vice truculentiſſimi illius affectus atrocitatem experti fuere.

§. III.

Quomodocunque demum arthritis ægros corripiat, in nullis corporis partibus magis, quam quidem in articulis, a quibus etiam ea propter denominationem mutuata eſt, tyrannidem ſuam exercet. Quippe aliquando univerſis, aut pluribus ſimul articulis modo fixis doloribus, modo erraticis moleſtiam creat, unde arthritis vel vaga, vel fixa naſcitur. Alio tempore hoſtilitatem ſuam tantum in variis pedum articulis exercet, quem affectum *Lucianus in Tragopodagra* ſic loquentem introducit:

A pleriſque autem hominum
podagra vocor, exiſtens pedum captura.

Interdum genua ſaltem occupat, atque gonagra tunc dicitur. Aliquando in articulo femoris elatiori ſedem fixam habet, & iſchiadis nomine venit. Jam manuum articulos ſpeciatim infeſtat, & chiragra nominatur. Nunc cubiti, nunc humeri, nunc cervi-

cis,

cis, nunc aliarum partium articulos occupat, indeque ad ductum *Parei. Libr. XVII. C. i.* diverſas indipiſcitur denominationes, quæ cum minus ſint uſitatæ, eas brevitati ſtudentes lubenter ſilentio præterimus. Multo minus dentium, pectoris, aliorumque oſſium non articulatorum dolorum in præſenti mentionem facio, quos nonnulli perperam cum articulari morbo confundunt, utpote qui articulis tantum eſt proprius. Hos vero non uno dolorum genere excruciat; quippe aliquando obtuſus ſaltem adeſt dolor, quem non incongrue ſtuporis nomine exprimimus, alio tempore is tenſione maxime eſt moleſtus, membrumque distorquet ita, ut non citra moleſtiam ſummam extendi, flecti, aliterque moveri queat. Aliquando partes ſenſatæ ita titillantur ac vellicantur, ut propter pruriginoſum ferveſcentemque ſenſum a frictione ac ſcalptura vix ſibi temperare queant ægri, quam ruditer peractam brevi poſt dolores atrociores conſequuntur. Jam de doloribus pungitivis, ſcindentibus, dilacerantibus ac urentibus dies noctesque miſeros ægrotantes conqueri audimus, neque aliter dolores illos verbis exprimere, qvam ſi mille aciculæ, totidemque formicarum roſtella, aut cultelli ſcindentes partes ſenſatas, imo ipſa oſſa roderent, pungerent, diſcerperent, dilacerarentque, aut, ac ſi pars affecta flamma aperta combureretur, hinc tranquillũ membri aut corporis ſitum anxie quærunt, & ægre inveniunt, aut ſi inveniunt, diu tamen non durat. Præterea cujuslibet rei attactum formidant, ut non raro leviſſimarum plumarum contactum impune haud ferant, alii dolorum atrocitati pene ſuccumbentes adſtantem impatienter rogant, ut manibus membrum affectum prehendat, firmiterque ſtringat, ac comprimat, quo ipſo non nunquam ſolamen, plerumque non diu durans, ſentiunt. Alii palpitatorium referunt dolorem, & affluxus loquuntur dolorificos, quos ſubinde ante ſentiunt, quam cum impetu in membrum irruant, quod interdum adeo graviter concutiunt, ut involuntarie non citra dolorem exquiſitiſſimum ſubſultet. Tot itaque tantisque doloribus arthriticos excruciatos quando obſervamus, non mirum, ſi millies mortem anxie expetant, quo ex tormentis, miſeriarum

pleniſ-

pleniſſimis, eximerentur tandem, tametſi raro votorum ſuorum fiant compotes. Quicunque vero ſit dolor, qui articulum torquet, ordinarie motum ejus lædit, aut penitus evertit. Hinc, qui podagra, gonagra, vel iſchiade laborant, ægre nituntur pedibus, ac greſſus vel plane non, vel non citra moleſtiam, & non niſi ſcipione inſtructi miſerum in modum formant. Lecto vero affixi vel pollicem, vel alium digitum, aut totum pedem imum rigidum oſtendunt. Interdum genua exhibent curva, quæ ægre aut plane non flectere, aut extendere poſſunt. Aliquando iſchiade adfecti tantam circa femoris & iſchii regionem referunt debilitatem, ut laborioſe admodum, aut nullatenus prorſus pedem movere poſſint, &, ſi forſan ſummo & ſpeciali conatu, vel aliena opera ſitum mutandi gratia in alium transferatur locum femur affectum, ſubinde tantis afficiuntur doloribus, ut miſerando ejulatu & clamore intenſo univerſam domum repleant. Atque idem propemodum obſervamus in chiragra, hac enim afflicti, nil quicquam apprehendere audent, hinc ſubinde neceſſe eſt, ut adſtans ipſis alimenta porrigat, atque in os ingerat. Nec minor vis cubiti ac humeri articulo infertur; quippe perſæpe miſeri ægrotantes cubitum nec contrahere, nec exporrigere ſine cruciatu inſigni poſſunt, ac humerum aliquando immobilem prorſus oſtendunt, quem ſi quis componat, ac leniter moveat præ nimiis doloribus lacrumantur & exclamant, quod ſi aliquando motus etiam adhuc ſit reſiduus, & aliquantum humerus antrorſum, retrorſum & extrorſum moveri queat, tamen commode elevari atque in gyrum duci nequit, qui motus, ſi externa ope perficiantur, dici non poteſt, qvantis doloribus tunc afficiantur ægri. Nec abſimilem torſionem experiuntur, quorum cervicis vertebras arthriticus dolor obſeſſas tenet; quantumvis enim aliquando libero motu adhuc gaudeat cervix, dolet tamen præcipue dum movetur, alio vero tempore ita vel antrorſum, vel in alterum latus diſtorta comparet, ut nec manuum miniſterio in oppoſitum latus duci queat. Ex his vero nunc non obſcure innoteſcit, quam miſera ſit illorum conditio, quorum articulos plures infenſiſſimus ille hoſtis ſimul adoritur; hos enim adeo moven-

movendi potentia privat, ut in lecto recumbentes nec manum, nec pedem movere, nec corpus univerſum circumvolvere poſſint, hinc adſtantes miſeratione comoti lintea lata eorundem lumbis ſubſternunt, quorum miniſterio corpus ægrum volvunt, & revolvunt, aut e lecto protrahunt, vel rurſus in eundem reponunt, idq; miſeris iterum dolores ſæpe exquiſitos,& moleſtiam inſignem, nec minorem animi mœrorem parit, præcipue iis, qui manuum uſura orbati, ad ingerenda æque ac egerenda aliena egent ope. Et licet aliquando in membris male ſe habentibus cutis naturali gaudeat colore, nullibique intumeſcentia ſenſibilis compareat, tamen ſubinde tumor modo pallidus mollisque ac œdematoſus, modo ruber, tenſivus, renitens ac inflammatorius effloreſcit, quorum ille dolores quandoque mitigat, hic vero magis intendit, utpote qui adeo exquiſite dolet, ut nec leniſſimum contactum impune ferat; præterea ardore multum membro affecto eſt moleſtus, ut flammam ſubeſſe credas,imo hic ſæpe adeo intenditur, ut e longinquo æſtum ſentias. Atque hæ ſunt illæ ipſæ hoſtilitates, quas arthritis ceu furioſus hoſtis in ipſis articulis exercet, hiſce vero nondum contentus eſt, ſed in reliquum evagatur corpus, atque in eodem varias ludit tragœdias. Quem enim fugit articulari morbo correptos a carnibus multisque aliis alimentis non raro mirum in modum abhorrere, potui vero haud parum indulgere, cum ſiti ſæpius inexplebili laborent,præcipue quando partes affectæ, imo quandoque totum corpus ardore inſigni perfuſum eſt, qui aliquando adeo intenditur, ut propter anxietates ſupervenientes febrem malignam æmulari videatur. Ac licet corpus morboſum mollioribus plumis ſit involutum, in illis tamen nullam quietem invenit, hinc arthritici ſæpe dies noctesque non unas, ſed plures inſomnes traducunt, aut ſi remittente non nihil dolore ſomnus obrepat, percelluntur frequentibus pavoribus, & ſubinde totum corpus contremiſcit, ubi ſæpenumero improvida pedis aliusve partis alliſione doloris immanitas revocatur. Expergefacti aliquando leviter delirant, ac interea temporis vires corporis inſigniter franguntur, facies comparet pallida, & totum corpus contabeſcit, imo quandoque

deliquia animi patiuntur, aut univerſum corpus convulſivis concutitur motibus.

§. IV.

En præcipua ſymptomata, quibus articularis morbus ſtipatus aliquando incedit, poſtquam vero dolores unam alteramque aut plures hebdomadas ſævierunt, hi paulatim remittunt & tranquilliori fruitur ſomno æger; quamdiu enim is turbulentus eſt, atque pavoribus mixtus, vix plenarius paroxyſmi finis eſt ſperandus, quando vero langvidum corpus ſomni tempore revireſcit, dolores plerumque adeo mitigantur, ut vel plenarie ceſſent, aut in ſtuporem inſenſibiliter evaneſcentem mutentur, atque illo tempore partes antea inflammatæ palleſcunt, aut tumor oedematoſus circa mali decrementum membra arthritica ambit, qui aliquando ſponte, vel pedetentim topicis roborantibus applicatis diſcedit, nonnunquam aliquamdiu durat, quale judicium quoque de rigore & tenſione membrorum, paulatim remittente planeque evaneſcente, eſto. Poſtquam vero arthriticus priſtinam ſanitatem ex voto recuperavit, is ſubinde per totum vitæ tempus ab omni malo tutus vivit, atque immunis, aliquando vero, uno alteroque anno, vel menſibus ſaltem quibusdam elapſis, in idem malum circa vernum cumprimis & autumnale tempus incidit, quod modo lenius, modo atrocius eundem adoritur. Alio tempore arthritici dolores paroxyſmo præſente ex improviſo quidem evaneſcunt, aſt interdum materia peccans ad interiora remeat, ſedemque modo in inteſtinis, modo in ventriculo, modo in diaphragmate aliisque partibus internis figit, atque nunc cruciatus & tormina imi ventris horrenda, nunc vomitionem crebriorem, jam anxietates ſummas, jam animi deliquia, ſimiliaque peſſima ſymptomata producit, aut medios inter cruciatus miſere jugulat ægrotantes. Nec rarum eſt, quod, arthritico paroxyſmo profligato, circa articulos nodi tophique efflore ſcant, aut in articulis ipſis calloſa materia colligatur, atque tunc tantum abeſt, ut diu a malo liberi permaneant ægri, ut potius frequentius in idem incidant, inſuperque ſubinde membra diſtorta ac dislocata oſtendant, quæ ægre aut plane non

move-

movere poſſunt. Namque & id incommodi articularis morbus poſt ſe trahit, quod interdum vel univerſum corpus, vel pars ſaltem ejus in contracturam prolabatur. Ut nihil jam dicam de tabe & paralyſi, quæ pariter non raro affectum hunc inſequuntur.

§. V.

Tanta eſt malorum lerna, tantaque multitudo ſymptomatum, quæ unum morbum proſequuntur. Antequam vero ad cauſas hujus morbi proximiores magisque obſcuras evolvendas accedamus, liceat procatarcticas ſenſibusq; obvias ad examinis incudem revocare, quarum non unæ ſed multifariæ occurrunt. Sunt enim haud pauci arthriticorum, qui ſortem ſuam vel eam ob cauſam valde dolent, quod parentes, ſimili affectu laborantes, nacti fuerunt. Namque & hic convenit, quod *Poeta* olim cecinit.

Patrum in natos abeunt cum ſemine morbi.

Id quod etiam jam dudum *Galenus L. IV. aph. 28. in Comm.* agnovit, *Pleroſque*, inquiens, *incidere in podagras, quod multi & patres & avos habuerunt podagricos, in quibus ſemen erat vitiatum, atque ideo filiis vehementiorem fecerunt partium imbecillitatem.* Quæ ſententia & in arthriticis locum invenit. Hinc *Schenckius Obſ. Med. L. V. de arthritide obſ. 30.* patricii cujusdam Suidnicenſis, arthriticis doloribus multum divexati, meminit, cujus & pater iſchiadicus, & mater arthritica fuit, qui tamen a malo illo congruis adhibitis remediis plenarie fuit liberatus. Simile quid refert de binis fratribus, hæreditaria arthritide diu laborantibus, *Platerus L. II. obſ. p. m. 506.* Neque apud nos triſtia ejusmodi exempla deſunt, ubi liberi, parentibus etiam adhuc vivis, malorum ejuscemodi infelices ſunt hæredes. Interim nec inficias eo, ſubinde perperam hujus mali ortum a parentibus, huic malo ſuccumbentibus, derivari, præcipue quando iſtud natos provectioris ætatis invadit, utpote quod ſæpius aliis cauſis, mox commemorandis, renuentibus etiam ægris, rectius tribuitur.

§. VI.

Namque ad cauſas procatarcticas pertinet quoque aer. Is enim particulis acribus & ſalinis turgidus humores corporis

noſtri inquinat, iisdemq; acrimoniam inſuetam conciliat, quæ poſtea hinc inde vellicando ac pungendo partes ſenſatas diverſorum dolorum exiſtit auctor. Hanc ob cauſam teſte *Cœlio Aureliano* Cariæ & Alexandriæ incolæ plerique ſunt arthritici, id quod etiam de Conſtantinopolitanis *Mercurialis Variar. Lect. L. 1. c. 24.* refert. Et hæc dubio procul eſt ratio, cur in locis maritimis, ſc. in Dania, Belgio, ſimilibusque regionibus multos torqueat malum hocce. Nec, aliam ſubeſſe cauſam, exiſtimo, cur haud pauci, qui in cryptis terrarum diu multumque laborant, aut qui metallurgicis & chymicis laboribus vacant, ſubinde in articularem morbum incidant, unde etiam verno & autumnali tempore juxta *Hippocratis* effatum articulorum mala moventur. *L. III. aph. 16, 17, & 20.* Præterea aer intenſe frigidus, tonum partium naturalem labefactans, humoresque coagulans, ac acriores reddens, non raro huic malo occaſionem ſubminiſtrat. Hinc *Platerus l. c. p. m. 510.* meminit quadragenarii, qui ob frigus intenſum, cui aliquandiu corpus expoſuit, gravisſimos cervicis, iſchii, aliorumque articulorum dolores ſenſit. Et de Japonibus *Mangeti Bibliotb. Med. Pr. T. 1. L. 1. p. 135.* refert, quod, cum iidem capite raſo, pedibusque nudis etiam bruma ſæviente incedant, non minus arthritidi, quam cœcitati ſint obnoxii. Atque *Holler. L. 6. aph. comm. 30.* de Sylvio commemorat, quod cum in glacie nudis pedibus ambulaſſet, podagra correptus fuerit. Simile quid narrat *Gabelchoverus C. 3. Curat. 33.* de molitore, qui cum nimiis laboribus admodum fuiſſet excalefactus, & affatim in toto corpore ſudaret, in aqua frigidisſima ſeſe lavit, unde poſt biduum incidit in dolores articulares exquiſitisſimos. Nec abſimilem hiſtoriam *Bonett. Med. ſeptentr. L. VI. P. 3. obſ. 21. p. 269.* de nobili Polono refert, qui menſæ marmoreæ nullo ſtragulo tectæ diu asſidens, tandem dolores brachii exquiſitisſimos contraxit.

§ VII.

Nec infrequenter articularis morbus natales ſuos a prava victus ratione deducit. Namque qui copioſa nimis alimenta & tempore inordinato aſſumunt, aut qui pravis & concoctu difficilibus i. e. crudis, viſcidis, ſalſis, fumo induratis, muria conditis,

ditis, ſacharatis, leguminibus ſalitis, cum aceto paratis, fructibus horariis præcipue immaturis, ſimilibusque delectantur, ſæpius chylificationem turbant, chylumque tartareo-ſalino recremento imprægnatum conficiunt, qui poſtea ad ſanguinem translatus, hunc & liquores, ab eodem ſeparandos, mire fœdat, & poſtea fomitem huic malo præbet. Hinc *Bonet. L. c. p. 270.* puerorum & infantum, arthritide laborantium, meminit, cujus mali cauſam in ingluviem & intemperantiam rejicit. Et *Sennert. Tr. de arthritide c. 2. p. m. 17.* ſpeciatim de uſu cyprini refert, quod podagricus quidam toties, quoties eodem uſus fuerit, paratam ſibi habuerit podagram, ut in manu ipſi eſſet accerſere, quando vellet, hoc pacto. Similem in modum impuritates ejuscemodi ſanguini commiſcentur, ſi quis aquas paluſtres & turbulentas, vel cerevisias acidas, feculentas, & ex aqua vitioſa coctas, aut vina multo tartaro ſcatentia, quorſum cumprimis Auſtriaca, Bohemica, Saxonica, Franconica, Rhenana ſimiliaque pertinent, tametſi nec Gallica, Hungarica ceteraque excludi mereantur, copioſe ingurgitet. Hinc *Athan. Kircher. de peſte S. 1. c. 9.* arthritidem in regione ſeptentrionali propter aquas impuras endemiam eſſe, adfirmat. Et *Gabelchoverus L. 2. Curat. & obſ. 55.* cauponis cujusdam Calwenſis meminit, qui ex nimio aquæ frigidæ potu arthritidem contraxit, ut adeo peſſime morbo hoc laborantes ſibi conſulere videantur, qui glacie cum vino commixta utuntur. Atque *Braſavola Comment. ad aphoriſm. 28. L. 6. Hippocrat.* vidit aliquando Venetiis Evnuchum, quadraginta fere annos natum, Turcam, ſine barba, effœminatum, timidum, & qui articulorum dolores patiebatur. Atque hic ipſe ob vinum paſſum copioſiſſime epotum in hæc diſcrimina inciderat. De vini potu largiori *Petr. Foreſtus L. 29. obſ. 4.* pariter commemorat, quod is in Creta etiam validiſſimos advenas articulari morbo corripuerit, qui exinde manibus pedibusque diſtortis nodoſisque, neque calceos induere, neque manibus quid tenere potuerunt. Sed quid opus eſt exempla eorum corradere, qui Bacho & intemperantiæ indulſere, & inde arthritidis labem contraxere, cum certe hodie permultos intemperantiæ ſuæ peccata luentes videamus.

Sane arthritis non male morbus Dominorum appellatur, plerumque enim ruſtici, & id genus hominum, quod ſimpliciori victu utitur, & articulos bene firmatos habet, a morbo illo ſunt immunes, unde etiam arthritis alias θεάμυσοπτοχ@ i. e. pauperes odio habens nominatur. Et in fabula eſt apud *Jovianum Pontanum L. 5. de ſerm. c. 1.* podagram aliquando peregrinantem in ruſculum divertiſſe, atque cum ibi caſulas inertiſſime ædificatas, ſqvalidas ſitu, & nihil præter marras bidentes, raſtros & alia inſtrumenta ruſtica vidiſſet, hoſpitium hoc averſatam fuiſſe, & in urbe hoſpitium quæſiviſſe, delatam vero in urbem ad primum ingreſſum in officinam fabri ferrarii incidiſſe, & illam quoque, ut ſibi incommodam, præteriiſſe; tandem cum in urbe progreſſa ad domum quandam ante cujus veſtibulum choreæ agitabantur atque convivia, interrogaſſe, cujus ædes eſſent, & cum reſponſum accepiſſet, otii ea eſſe, inhabitarique ab hominibus deſidioſis, ſomnoque & vino marcentibus, e veſtigio domum ingreſſam dixiſſe: hæc domus, hæc patria eſt. Namque vere qui lautius vivunt, nihilque aliud cogitant, quam ut ventri indulgeant, illi plerumque in arthritidem incidunt. Id quod eorum hiſtoria haud obſcure confirmat, qui vel in carcerem conjecti, vel ad paupertatem redacti, a malo illo liberati ſunt, propterea, quod a vino aliisque eduliis delicatis ac pravis abſtinere coacti fuerunt, quales hiſtorias apud *Sennert. l. c. p. 16. Schenckium l. c. p. 682.* aliosque conſignatas habebis, ut adeo verſiculus ille congruere videatur: *Abſtine & efficies, quod Medicina nequit.*

§. VIII.

Non immerito Venerem Bacho immediate ſubnectimus, præcipue cum Venus Bacho conjugata arthritidi magnum incrementum det, & arthriticis maxime infeſta eſſe ſoleat, uti præter experientiam pene quotidianam, Autorum teſtimonio abunde ſatis comprobatur. Hinc Poetæ veteres non perperam ſpeciatim podagram Bachi & Veneris filiam effinxere:

E ſolvilumbo Bacho, ſolvilumbaque
Venere creata eſt ſolvilumba podagra.

Namque immoderato Veneris uſu, ſpiritus valde diſſipantur exhauri-

hauriunturque, concoctiones turbantur, totumque corpus & cumprimis articuli mirum in modum debilitantur, ut adeo Poeta non male olim cecinerit:

Ut Venus enervat vires : ſic copia vini
Et tentat greſſus, debilitatque pedes.

Aut juxta tritum illud:

Solvere membra ſolet Bachus, ſolet & Venus ipſa
Solvere, & ex illis nata podagra ſolet.

Et Practici non ſimplici vice obſervavere, venerea bella, brevi poſt cibos aſſumtos inita, maxime eſſe nociva, dubio procul, quoniam tunc chylificationis negotium haud parum læditur, & cruditatibus generandis perapta datur occaſio.

§. IX.

Quemadmodum vero ejusmodi inſuetæ excretiones arthritidi producendæ maxime favent, ita e contrario excretionibus, quibus natura eſt adſuefacta, læſis aut ſuppreſſis, non raro idem malum oritur. Proinde lochiorum, menſium, hæmorrhoidum fluxu ſufflaminato, aut læſo, vel venæ ſectione aliisque ſanguinis miſſionibus annuis neglectis, aut ſudore ſuppreſſo, & urina parce fluente, dum impuritates in ſanguine augentur, & orgaſmus ejus intenditur, ſæpius inde articularis morbus naſcitur. Hinc *Gabelchoverus Cap. 4. obſ. & curat. 32.* dolores articulares ex annua venæ ſectione intermiſſa natos commemorat. Et *Foreſtus L. 29. obſ.* meminit cujusdam, qui propter hæmorrhoides, quibus diu aſſuefactus fuit, reſtrictas in eundem morbum prolapſus eſt. Hinc non male *Hippocrates C. aph. 29.* inquit: *ſuppreſſis etiam menſtruis, mulieres facile articularibus poſſunt tentari doloribus.* Nec male modo laudatus *Gabelchoverus C. 2. obſ. 57.* de arthritide, a febre ortum ducente, differens, aſſerit, quod febricitantes ii, qui frequenter ſudant, vel copioſe urinam emittunt, ab hoc malo tuti ſint: ſimul ac vero ſudor & urina ſupprimitur, malum fit præ foribus.

§. X.

Neque vero animi pathemata ab arthritidis cauſis excluſa volumus, ad quæ cumprimis ira pertinet, per eam enim ſpiri-

tus &

tus & humores impetuoſe commoventur, motusqve irregulares in univerſo corpore exſurgunt, unde craſis humorum notabiliter læditur, atqve morbifica cauſa a compedibus, qvibus hactenus irretita erat, ſubinde liberatur, qvæ poſtea hoſtilitates ſuas libere exercet. Hinc *Salmuth C. 3. obſ. Med. 53.* de puella, octavum ætatis annum agente, refert, qvod cum voluntati ejus certis de cauſis ſatisfacere noluerint parentes, ejulare, clamare, ſurſum deorſumqve in ædibus curſitare, iraqve excandeſcere cœperit, ut poſtridie vera podagra pedis dextri corriperetur. Et ſi qvis dubius animi adhuc hæret, adeat ſolum arthriticorum chorum, & ambabus id fere largietur, cum ſane arthritici, iracundia inflammati, ſæpius hujus vel illius aut plurium articulorum dolores ex improviſo ſentiant. Multum qvoqve ad hunc morbum mœſtitia & curæ, diutius ſolito protractæ, conferre poſſunt, utpote qvæ chylificationem ſenſibiliter lædunt, ac univerſum corpus defatigant, &, ut Sacer codex loqvitur, medullas exedunt. Hinc *Möllenbroccius de arthritide vaga ſcorbutica C. 4. 14. p. m. 57.* teſtatur, plures mœrore & curis, propter bella, illo tempore geſta, affectos tandem in articularem morbum incidiſſe. Neqve minorem vim terror habet in corpus noſtrum, qvippe qvo ſtagnandis & corrumpendis humoribus in partibus præcipue externis idonea ſuppeditatur occaſio. Qvare Platerus *L. 2. obſ. p. m. 471.* refert, honeſtam qvandam matronam, terrore ob caſum infantis, cum ancilla, illum ulnis geſtitans, per ſcalas cecidiſſet, perculſam, brevi poſt in dolores articulares graves delapſam fuiſſe.

§. XI.

Ex rebus, qvas plerumqve non naturales nuncupamus, motus & qvies, ſomnusqve & vigiliæ adhuc reſtant. Qvod enim ad motum attinet, ut moderatus corpori maxime conducit, ita aſſiduus & improbus articulos valde debilitat, & hinc inde obſtructionibus occaſionem dat. Proinde qvi pila nimis ſe exercent, aut in palæſtra acriter pugnant, vel diu eqvo vehuntur præcipue pedibus pendulis, nec firmiter ſtapedi innixis, qvandoqve in articularem affectum incurrunt, unde freqventiorem hunc affectum eſſe Scythis, ex *Hippocrate* de aere, aqva & locis accepimus,

qvod

qvod ſtapede equites careant. Idem vero malum nonnunqvam a vigiliis nimiis proficiſcitur, hæ enim naturæ ſphæram transgreſſæ ſpiritus animales valde diſſipant ac debilitant, ut poſtea muniis ſuis rite præeſſe nequeant; unde poſtea eſt, quod articuli corporis langvore corripiantur; chyli elaboratio, hujusque ac ſanguinis reliqvorumqve humorum depuratio ægre procedat, ſicqve impuritates in corpore haud parum cumulentur; hinc *Cl. Wedelius in Diſſ. de arthritide c.3. p.14.* meminit cujusdam, qui ex diuturnis lucubrationibus & vigiliis tandem ſibi huncce adfectum conciliavit. Ejusdem vero morbi cauſa occaſionalis eſſe qvoqve poteſt ſomnus diutius ſolito protractus, & qvies immoderata, utpote qvibus circularis ſanguinis motus, & conſuetæ excretiones hinc inde læduntur, ac ſangvis majorem ſpiſſitudinem & acredinem; ſpiritus autem inſvetum torporem contrahunt, totumqve corpus redditur langvidum, minusqve ad munia ſua obeunda alacre atque idoneum, ut adeo impuritatibus in M. S. collectis, & membris notabiliter delaſſatis facili negotio morbus articularis vel excitari, vel intendi qveat.

§. XII.

Neqve vero ſilentio præterire poſſumus, quod truculentus hicce affectus ſubinde gravioribus morbis modo aſſocietur, modo eosdem inſequatur. Quem enim fugit? lue venerea laborantes ſæpius exqviſitiſſimis articulorum doloribus ſimul torqueri, aut eandem vel ſaltem gonorrhæam cumprimis virulentam, minus circumſpecte adſtringentibus & mercurialibus tractatam peſſimo illi malo occaſionem præbere. Atqve *Lentilius M. Med. P. I. p. 251.* nec non *Platerus Obſ. L. 2. p. 498.* arthritidem dyſenteriæ ſuccedentem commemorant. Et *Bonett. in ſepulchret. p. 1431.* arthritidis febrem qvartanam inſecutæ meminit. Nec non in *M. N. C. D. 2. An. 9. p. 20.* de qvodam fertur, quod is fugata epilepſia in arthritidem inciderit. Alias hujus farinæ obſervationes ut nunc brevitatis gratia haud attingamus, præcipue cum ex hisce jamdum clare innoteſcat, quod humore acri ſcindenteque ex parte vel externa, vel interna ad articulos delato, non difficulter morbus articularis ortum inde trahere qveat, qvibus paulo fuſius pertractatis, in-

offenſo magis pede ad cauſas proximiores, ac immediatas progredimur.

§. XIII.

A vero autem nos non aberraturos eſſe ſperamus, ſi aperte aſſeramus, ad articularem morbum, & ſanguinis dyſcraſiam, & articulorum ſpecialem diſpoſitionem reqviri, ita quidem, ut hæc vel illa præcedat, aut ambæ ſimul concurrant. Nam quod ad ſanguinem, heterogeneum illum liquorem, attinet, cum præter hunc nullus alius liquor ad articulos manet, cui commode munus hoc tribui queat, nihil quoque impedit, quo minus exiſtimemus, eundem arthritidis ac dolorum eſſe cauſam materialem. Nam licet nervorum miniſterio ad articulos fluidum quoddam devehatur, hujus tamen acredini nullatenus cruciatus deberi, vel exinde non obſcure innoteſcit, quod dubio procul ante in cerebrum & nervos exerceret vim ſuam, quam ad articulos depluerit, multifaria tamen experientia reclamante. Atque hæc ipſa cruoris intemperies aliquando eſt tanta, ut in ſenſus omnino incurrat. Quippe neminem latere arbitramur, plures, articulari morbo impeditos, ſubinde de cephalalgia, odontalgia, ſudore ſalſo, ardore urinæ, maculis hinc inde in corpore efflore-ſcentibus, ſimilibusque affectibus, a ſangvinis acredine & intemperie pendentibus, conqueri. Hinc etiam eſt, quod pro diverſa ſangvinis dyſcraſia adeo diverſa ſymptomata arthritidem modo præcedant, modo præſentem comitentur, modo profligatam inſequantur. Quando enim phlegmaticæ conditionis eſt ſangvis, lentoq; motu tum inteſtino tum progreſſivo vaſcula ſua perfluit, appetitum proſtratum ac alvum ſegnem, horrorem, capitis gravedinē, ſomnolentiam, involuntariam artuum pandiculationem, oſcitationem ſentiunt ægri, quatenus ſcilicet cruor, ægre & lente per cerebrum ejusq; meninges circulans, gravedinis ſenſum non modo, verum etiam turbando vividum ſpirituum influxum ſomnolentiam & totius corporis laſſitudinem inducit, atque ab eodem lentore ſangvinis, ad arterias capillares hærentis, horror & frigus pendet, utpote quo calida per poros partium transſpiratio cohibetur, imo dum lente procedens ſangvis hinc inde muſculorum fibras titillat,

pandi-

pandiculationes artuum, & frequentem oſcitationem ſimul poſt ſe trahit. Nec alia ſubeſt ratio, cur ventriculus & inteſtina, penuria ſpirituum laborantia, muniis ſuis haud rite præſint, cum præterea in illo ſtimulus naturalis deficiat, & in his feces ſolito ſpiſſiorem conſiſtentiam acquirant. E contrario, quando ſpicula ſalina in ſangvine ſunt evoluta, hicq; concitatiori motu itum reditumq; ad cor abſolvit, modo appetitu aucto, modo æſtu totius corporis, nunc vigiliis, nunc vertigine ac ſomno turbulento divexantur ægri. Menſtruum enim ventriculi, ſpiculis ſalinis plus juſto armatum, citius digerendo ingeſta, & frequentius vellicando ſtomachum auctam ciborum appetentiam excitat, ac dum eadem ſpicula inteſtinum ac progreſſivum ſangvinis motum accelerant, augent ſimul æſtum totius corporis, & inordinatum ſpirituum motum excitant, a quo poſtea vigiliæ, vertigo & ſomnus turbulentus pendet. Alia ſymptomata, articulari morbo præeuntia, ut nunc brevitatis gratia ſilentio prætercam.

§. XIV.

Quodſi nunc oculos noſtros ad articularem morbum præſentem convertamus, hujusque ſymptomata concomitantia paulo penitius expendamus, ſane & hæc non inconvenienter a ſanguine male conſtituto derivantur. Nam quod ad articulos attinet, in iis diſcrepantes dolores, & motionum læſiones diverſas, ac varias intumeſcentias obſervamus, quibus ſubinde appetitus proſtratus, ſitis, febriles inſultus, agrypniæ, ſomnus pavoribus mixtus, delirium, convulſivi motus, delaſſatio univerſi corporis ſimilesque affectus ſuccedunt. Et quidem quod ſpeciatim ad dolores ſpectat, ii modo ſtupore, modo tenſione, nunc pruritu, nunc punctura ac ſciſſione, jam dilaceratione, jam æſtu maxime ſunt moleſti. Cuncti vero tam diſcrepantis naturæ dolores a ſangvinis diverſa conditione pendere videntur. Equidem purpura ſangvinis ad dolores in articulis procreandos parum confert, motum ejus vitiatum ſi excipias; at enim vero ſerum in ſangvine inexiſtens, vel ab eodem jam dum ſeparatum, cum commune ſit ſalium vehiculum tum acidorum, tum alcalium, tum mediorum, jure ac merito pro dolorum quorumvis habetur cauſa

principe; præcipue cum conſtet, omnium ſalium texturam rigidam eſſe atque acutam, & inæqualem, indeque ad partes ſolidas pungendas, vellicandas, dilacerandasque peridoneam. Hic vero acriter ac ſubtiliter inter ſe pugnant Auctores, cujusnam præciſe naturæ ſit ſal, quod in arthritide adeo triſtem ſenſum partibus ſenſatis infert. Alii enim particulas alcalicas, alii acidas, alii ſalſas, alii acres vix definiendas accuſant. Ut paucis me expediam, ego quidem, ſalvo aliorum judicio, exiſtimo, in arthritide non ſemper unius naturæ ſal, ſed modo ſalſum, modo ſalſo acidum, vel alcalinum peccare, tametſi tam lynceis oculis haud ſimus inſtructi, ut acres particulas, in profundis corporis partibus abſconditas, ſemper adeo accurate definire queamus. Nam quod ad ſalſas particulas attinet, equidem has ſangvis ſecundum naturam complectitur, hinc quamdiu juſta proportione & amicabili vinculo ceteris cruoris particulis ſunt commixtæ, citra dolorem perfluunt vaſa ſua. Verum enimvero evolutæ, exſuperantes, & ſui juris factæ, potenter lancinando pungendoque partes ſolidas variis doloribus cauſam præbere poſſunt. Hinc etiam eſt, quod, qui nimis ſalſis delectantur, aut ſcorbuto, ab humorum ſalſedine ortum ducente, laborant, frequenter ejusmodi doloribus ſint obnoxii, cui ſententiæ ſimul favere videtur puer ille quatuordecim annos natus, & a teneris arthriticus, cujus meminit Cl. *Pechlinus*, Medicus quondam celeberrimus; Ille enim poſt toleratos aliquot annorum dolores immenſos, tandem in ſiniſtri cubiti articulo tumorem ſenſit, qui apertus liquorem prodidit ſalſum, ſtatimque ad auras in albam calcem concreſcentem *Obſ. Phyſ. Medic. L. 2. obſ. 25.* Neque vero minor vis ineſt ſpiculis acidis, diſcerpendis partibus admodum idoneis; hinc, quicquid alii contradicant, acida largiter & intemperate aſſumta tantum abeſt, ut omnes arthriticos dolores indiſcriminatim conſopiant, ut potius eosdem frequenter admodum provocent, accelerent, atque intendant. Quare, qui lue venerea ſimilique adfectu, ab acido corroſivo pendente, affliguntur, ſæpius ſimul in contumaces articulorum dolores delabuntur. De alcalicis particulis dubitare quis poſſet, num vel unquam arthriticos do-

lores producant, præcipue cum tantum non omnes Phyſicorum exiſtiment, nullum dari ſal alcali naturale, ſed omne ignis tortura ex concretis naturalibus confici. Cum vero in corpore noſtro ejusmodi apparatus ad ſales volatiles æque ac fixos parandos neceſſarius locum haud inveniat, non immerito dubitant, an vel unquam ſal alcali exſuperans in corpore peccet. Accedit, quod calx arthriticorum hypotheſi huic minus congruere videatur, cum ſane alcalia vim quidem habeant diſſolvendi humores, non æque coagulandi, quæ virtus plerumque ſolis acidis tribuitur. Verum quoniam *Barchuſen Acroamat. Diſſ. IX.* aliive non contemnendis experimentis probant, in quibusdam ſimplicibus præexiſtere ſal alcali, ac nullatenus ignis eſſe productum, & præterea fortaſſis ſolo corporis motu interno ſales aliquando volatiles acresque redduntur, vix ac ne vix quidem omnimode ſal, ad alcalinam naturam vergens, ex cauſarum catalogo expungere poſſumus. Neque vero calx ceu arthritidis effectus hanc ſententiam adeo deſtruere poteſt. Namque ſi autopſiæ ſunt conſentanea, quæ *Boyleus* & *Tachenius* proferunt, ſane nec alcalicis omnis coagulandi vis indiſcriminatim denegenda eſt. Ille enim *Hiſtor. human. ſangv. Part. 3. experiment. 6. p. 59.* in ſeri ſanguinis portionem oleum tartari per deliquium ſtillavit, quæ ſtatim album coagulum produxit, non ſecus ac ſi ſpiritus ſalis eidem fuerit mixtus. Hic vero *Hyppocr. Chym. c. 14.* teſtatur, liquorem volatilem & urinoſum ex calculo humano deſtillatum, ac hujus capiti mortuo ſeu fruſtulis friabilibus ſatis reaffuſum, iisdem priſtinam ſoliditatem reſtituiſſe. Ut nihil jam dicam de lapidibus cancrorum, quos quotannis conſumi ac regenerari indefeſſi naturæ ſcrutatores obſervavere, tametſi ſolum alcalino principio ſint imbuti. Hæc vero non eum in finem adducuntur, ac ſi exiſtimemus, omnem calcem arthriticorum a ſale ejusmodi pendere, cum vel ſola quies & contactus mutuus particularum terreſtrium, his vel illis moleculis ſalinis imprægnatarum, ſufficere dubio procul queat. Imo non citra rationem autumo, rariſſime arthritidem ab ejusmodi ſale produci. Quippe ſalium acidorum ſalſorumque abuſus pene eſt quotidianus, iidemque nulla præparatione ulteriori in cor-

pore humano indigent, cum e contrario ſales alcalicos puros rariſſime aſſumamus. Licet enim alimentis frequenter admodum veſcamur, e quibus putrefactione præmiſſa, vel ſine eadem ignis beneficio ſales ejusmodi præparamus, hos tamen ægerrime & raro admodum ſolo corporis motu interno ex iisdem evolvi, & exaltari, nemini cognitu difficile eſſe, arbitror. Quare *Clariſſimo Colbath* aſſentiri nequeo, qui in tractatu *de podagra*, Anglico idiomate conſcripto, unicum hujus affectus eſſe cauſam ſal alcali, putat. Hujus enim aſſerti veritatem non modo rationes antea prolatæ ſufficienter infringunt, verum etiam argumenta, ab eodem propoſita, tanti non ſunt, ut hypotheſi ejusdem omnimode ſubſcribere poſſimus. Putat enim dum acidum deſtruere & ſuam hypotheſin ſtabilire conatur, appetitum dejectum, & æſtum febrilem ab acido haud poſſe derivari, ſed potius ſymptomata illa alcalino ſali deberi, urgetque præterea, majorem longe copiam ſalis alcalici ex ſangvine podagricorum, qvam ſanorum arte Chymica poſſe parari, imo ſyrupum violarum, & ſero & calci podagricorum affuſum, colorem ſuum nativum mutare in virideſcentem. Nam quod ad appetitum dejectum attinet, is ſane ob dolores acutos, & menſtruum ventriculi iners jam dum imminui poteſt, tametſi neque acidi, neque alius ſalis peccantis rationem habeamus, interim nec omnia acida promiſcue appetitum ciborum augent; alias enim anorexia laborantium ventriculi non ita frequenter acidos vapores eructarent. Neque vero acida, numero & natura pene infinita, omni vi calefaciendi corpus ſunt privanda; alias enim lui venereæ ſuccumbentes frequentiores corporis exæſtuationes neſcirent, ut nihil jam dicam de inflammatione articulorum, quæ ſola citra ejusmodi ſal alcalinæ naturæ æſtuoſum ſanguinis motum poſt ſe trahere poteſt. Et quantumvis arte Chymica forſan plus ſalis alcalici e ſangvine podagricorum, quam ſanorum elici poſſit, tamen inde ſolum fluit, eum majori ſalium copia eſſe turgidum, qui ignis torturam perpeſſi demum alcalinam naturam acqvirunt, quamvis ſub hac forma in ſanguine haud præexſtiterint. Poſtremum vero experimentum non flocci eſſe æſtimandum, ingenue fateor, ſed

cum

cum Auctor ipſe teſtetur, ſyrupi violarum colorem non ſemper in viridicantem fuiſſe mutatum, & mihimet ipſi, cum calce podagricorum hoc experimentum adornanti, non ſimplici vice idem acciderit, eo ipſo magis confirmor, non ſemper unius naturæ ſal in arthritide peccare. Neque vero vitio mihi vertet quispiam facile, quod fluctuanti veluti animo arthritidis cauſam proximiorem, modo in ſal acidum, modo in ſalſum, modo in alcalicum, modo in particulas acres, vix verbis commode exprimendas, rejiciam, cum ſane non deſint rationes graves, quæ me ad id credendum impellunt. Conſiderans enim aerem atmoſphæricum tam diſcrepantis naturæ particulis ſalinis ſcatere, & alimenta amara, dulcia, auſtera, acida, ſalſa, aromatica & infiniti propemodum ſaporis abs nobis aſſumi, roburque ac vigorem & temperiem individualiter pene differre, rerumque ceterarum non naturalium uſum maxime eſſe diverſum, & morbos, a quibus arthritis interdum ortum trahit, multum inter ſe differre, cur uni fatali ſali arthriticorum dolores tribuere debeamus, cauſam habemus nullam, præcipue cum idem medicamentum, quod uni arthriticorum fuit emolumento, alteri ſit ſæpius nocumento, autopſia id ubertim confirmante. Neque etiam ſilentio præterire poſſum, particulas aereas, quas vulgus flatus nuncupat, ad cauſas quoque dolorum arthriticorum ſpectare. Ut enim illæ elaſtica vi donatæ ſecundum naturam in humoribus & cumprimis ſanguine exiſtunt, ita incarceratæ, & exitum inanem molientes, quantos ſubinde dolores procreent, nemini ignotum eſſe arbitror. Quare & hæ, rariſſime licet articulis noxam inferunt. Præclarum hujus rei teſtimonium habemus apud *Zacut Luſitanum Prax. Med. admirab. L. 2. obſ. 127. p. m. 85.* Is enim œconomi cujusdam mentionem facit, qui tres annos gonagra graviter vexatus fuit, & licet plurima præſidia adhibita fuerint, nullum tamen ſenſit ſolamen, donec Chirurgi, pus ſubeſſe exiſtimantes, cauterio actuali partem affectam perforarint, aſt genu aperto non niſi flatus prorupit, quo evacuato & congruis remediis applicatis melius ſe habuit æger. Memorabile quoque exemplum chiragræ flatulentæ

lentæ *in M. N. C. Dec. 2. an. 4. obſ. 91.* celeberrimus *Folckamerus* literarum monumentis conſignavit. Quemadmodum vero non una eſt cauſa dolorum arthriticorum materialis, ita etiam diſſimilis naturæ dolores in articulis læſis animadvertimus, præcipue cum acres particulæ ab aliis heterogeneis admixtis multifarie alterentur ac figurentur. Proinde quando acrimonia viſcidis particulis multum eſt obvoluta, & tubuli partium magis repleti ſunt, quam lancinati, ſtuporem ſaltem ſentiunt ægri, aut dum blandior eſt acrimonia, hæc pariter blande titillando pruritum tantum excitat. Quodſi vero hæc aculeata eſt atque rigida, hujus quoque conditionem dolores plus vel minus ſcindentes, pungitivi ac dilacerantes inſequuntur. Æſtus autem & pulſatorius dolor inflammationi ſimul junctæ potiſſimum debetur; dum enim ſangvis per minutiſſima vaſcula tranſitum molitur, & ægre invenit, frequentius diducendo arteriolarum latera pulſum, & ſimul propter inteſtinum cruoris motum, & ſpirituum affluxum acceleratum æſtum producit. Denique moleſta tenſio a muſculorum tendinibus nimium irritatis pendere videtur. Atque hæc ipſa dolorifica tenſio & id incommodi poſt ſe trahit, quod pars affecta nunc rigida, nunc contorta & immobilis obſervetur. Quando enim extenſores unius partis tendines ſpaſmo laborant, & antagoniſtarum robur ſuperant, neceſſario membrum rigidum, alio tempore curvum, flexoribus ſcilicet ſpaſmo correptis, efficiunt, iſtudque omni movendi potentia privant. Ut nihil jam dicam de dolore ſimul juncto, cujus vitandi gratia perlubenter ab omni motu abſtinent ægri. Tandem quod ad varias partis affectæ intumeſcentias attinet, & hæ a diverſa ſangvinis conditione pendent. De inflammatorio dolore jam egimus, hinc œdematoſi ſolum mentio eſt facienda, hunc vero a ſero ſpiſſiori in tubulis partium earundemque poris ſtagnante produci, in vulgus eſt notum. Neque eſt cur reliquorum ſymptomatum concurrentium explicationi diu immoremur, præcipue cum in antecedente paragrapho appetitus proſtrati, ſegnitiei alvi, æſtus, vigiliarum ac ſomni turbulenti mentio non obſcura facta fuerit, & quilibet parum in arte Medica verſatus

ratio-

rationem invenire poſſit, cur doloribus nimis ſævientibus interdum pene totum genus nervorum afficiatur ita, ut ſpaſmo laborans animi deliquium ægro pariat, aut cur iis præſentibus nonnunquam tam irregularis ſpirituum motus excitetur, qui vel delirare facit mentem, vel corpus in convulſivos conjicit motus.

§. XV.

Potius jam ad ſymptomata, arthritidem profligatam inſequentia propero. Sane frequentiſſime accidit, ut nodi tophique vel in ipſorum articulorum cavitate, vel in vicinis eorundem partibus effloreſcant. Hinc in *M. N. C. Dec. 1. an. 2. obſ. 65.* viri perilluſtris fit mentio, qui vitam ſuam longo annorum ſpatio arthritide excruciatus tranſegit, ita, ut pedibus & manibus contractus evaſerit. Aperto cadavere cauſam contracturæ digitorum, manuum, pedumque ac reliquarum juncturarum cum perveſtigaret Medicus, easdem calce vulgo dicta plenas obſervavit, & quidem tanta quantitate, ut ipſis oſſiculis loco ſuo naturali cedere neceſſe fuerit. Atque *Platerus l. c.* mulieris cujusdam meminit, quæ e nodoſo pollice pedis ſiniſtri, pugni magnitudinem excedente, calculos tophaceos, quorum minimus piſo major erat, pluresque quam viginti ſuppuratione facta cum maximo dolore ſucceſſive reddidit. Simile quid accidit non ita pridem Viro qvodam, e cujus pollice pedis podagrico multo majores numeroſioresque calculi excreti fuere. Dubio autem procul calculoſæ illæ concretiones a particulis ſangvinis & lymphæ terreſtribus proveniunt, quippe quæ in articulos, vel in vicinas eorundem partes præcipitatæ non modo aëre frigidiore, membra læſa externe ambiente, aut frigidis & adſtringentibus intempeſtive applicatis, verum etiam evaporatione particularum humidarum concreſcunt, ac indurantur, ut nihil jam dicam de ſale acido plerumque admixto, condenſationemque haud parum promovente. Neque vero ſemper contractura, quam articularis morbus comitem habet, a calce, articulorum cavitates occupante, qvin potius a pertinaci tendinum ſpaſmo pendet. Hinc ſæpenumero nullibi tophacea ejusmodi

materia in ſenſus incurrit, & articuli laxe cohærentes moventur qvidem, aſt imperfecte, qvatenus propter tendines rigidos tenſosque, qvos vel tactu facillime explorare poſſumus, motionibus illis certi ſaltem limites ponuntur. Imo qvandoqve adeo contorqventur iidem, ut ſimul articulata oſſicula diſlocent, qvalem mirabilem contracturam in ſecundo internodio digitorum qvondam obſervavi. Quo majus vero incrementum capit ſpaſmus tendinum, eo magis non modo relaxantur antagoniſtæ, & vim ſeſe contrahendi amittunt, verum etiam eo majus detrimentum motui articuli infertur, qvi hanc ob cauſam ſubinde omni movendi potentia privatur. Atqve tunc miſerrimus eſt ægrotantis ſtatus, præcipue ſi plurium articulorum tendines ſimul hoc modo ſint affecti. Sic memini vetulæ cujusdam, qvæ propter intemperantiam in arthritidem, & poſthinc in contracturam erat prolapſa, hujus cervix & pedes adeo erant incurvi, ut mentum pectus & pedes extremi nates pene attingerent, atqve hoc corporis ſitu duos pluresqve annos conſtanter ſervato tandem ægra efflabat animam, qvi certe non adeo abſimilis erat illi, qvem olim in materno ergaſtulo ſervaverat. Tandem qvod ad tabem & paralyſin, qvæ interdum arthritidem inſeqvuntur, attinet, has nimiæ fibrillarum muſculorum nervorumqve relaxationi & dyſcraſiæ ſangvinis deberi, nemo fortaſſis dubitabit, modo conſideraverit, ad nutritionem naturalem ſangvinis conſtitutionem bonam & certum partium tonum reqviri, atqve hæc dubio procul eſt ratio, cur relaxatis nimium fibrillis nervorum & muſculorum ſpiritus juxta conſuetas naturæ leges in partes influere, easqve movere neqveant.

§. XVI.

Hactenus niſi fallor luculenter probavi, a ſangvine velut communi oceano promanare rivulos illos acres, qvi tantam articulis vim inferunt, & tam diverſa ſymptomata in corpore producunt. Nunc itaqve ordinis jubet ratio, ut articulos ipſos, eorundemque ſpecialem ad arthritidem diſpoſitionem examini ſubjiciamus. Sane, articulos præſente hoc morbo graviter eſſe affectos, non modo dolor inſignis, & eorundem motus de-

prava-

pravatus, verum etiam tartarea illa ſubſtantia, qua eorum cavitates ſunt repletæ, perſpicue docet. Et licet glabræ illæ cartilagines, quibus oſſa articulata ad facilitandum eorundem motum incruſtantur, non adeo ſenſibiles videantur, tamen iisdem inſtrata eſt membrana, fibrillas in cartilaginum ſubſtantiam dimittens, cujus beneficio ſenſu quodam pollent eædem. Præterea in ipſis articulis glandulæ mucilaginoſæ occurrunt, qvæ unctuoſum humorem, lubricandis cartilaginibus, ac iisdem a nimia incaleſcentia præcipue motus vehementioris tempore præſervandis, apprime neceſſarium, a ſanguine ſecernunt, quibus ineſſe ſenſum nemo contraveniet. Neque me judice excludenda ſunt ligamenta, colligandis oſſibus articulatis ſervientia. Qvamvis enim motionum tempore ſentire haud videantur, propterea tamen exiſtimandum non eſt, ea nimis tenſa aut vellicata omni ſenſu deſtitui. Quod ſi enim hoc argumentum quicquam valeret, quid impediret, quæſo, quo minus ſentiendi vi privemus ventriculum, qui quotidie alimenta citra ſenſum aſſumit, cum tamen alio tempore nimis ab emetico ſimilique cauſa irritante ſtimulatus, dolores ſatis atroces perſentiſcat. Præcipue vero membrana, articulos ambiens, exquiſite dolet, articulari morbo præſente. Ut enim ea tenſa eſt, & ex fibrillis nervaceis conſtructa, ita ſenſui illi triſti, atque vibrationibus ſuſcipiendis propagandisque perapta eſt, atque idonea. Neque vero nervi ac vaſa ſangvifera, articulis proxime accumbentia, ſunt excludenda, utpote quibus irritatis, aut ſangvinis motu per minutiſſima vaſcula intercepto, nunquam non dolores multiplicantur & intenduntur. Huc vero inſuper jure ac merito muſculorum tendines, articulis accumbentes, referuntur, utpote qui non modo tenere ſunt ſenſati, verum etiam externe humore unctuoſo irrigantur, cujus acredine aliquando mirum in modum non citra exquiſitiſſimum dolorem punguntur vellicanturqve. Qvodſi vero eodem tempore partes, ab articulis magis remotæ, ſimul dolore & tumore afficiantur, eas plerumqve ſympathetice pati, veroſimillimum videtur. Aſt cum partes articulorum qvævis in ſe ſpectatæ ac rigoroſe loquendo non ſentiant,

vis illa ſentiendi debetur earundem incolis, i. e. ſpiritibus, utpote qvorum miniſterio triſtis illius ſenſus idea in mente producitur. Jam vero non immerito quæſtio movetur, an ad articularem affectum ſpecialis articulorum diſpoſitio qvicqvam faciat? Sane aliquando ſcorbutici, ſcabioſi, ſimilesque ægri, quorum humores copioſis admodum ſpiculis ſalinis turgent, podagricos ſimilesque dolores articulares prorſus neſciunt. Alii florida facie ſunt ornati, nec exanthematibus cutis variis deturpati, nec ullum exſuperantis acrimoniæ humorum ſignum præbent, præter dolorem, qvem in hoc vel illo articulo percipiunt. Ut nihil jam dicam de triſti ſenſu, qui unum ſaltem membri cujusdam articulum occupat, a qvo vicini plane ſunt immunes, cum tamen ſanguis, qvi ad eosdem defertur, ab uno arteriæ trunco promanet. Quæ omnia, opinor, non obſcure innuunt, frequentiſſime arthritidem a ſpeciali articulorum diſpoſitione dependere. In qvo autem illa conſiſtat, determinatu certe perarduum eſt. Interim niſi fallor tonus partium labefactatus & vitioſa pororum conditio hic cumprimis accuſanda venit. Nam ut renitentia tubulorum naturalis haud parum conferre videtur ad vitalem humorum motum conſervandum; ita tono eorundem læſo, non modo lentiori motu progrediuntur humores, verum etiam facillime ſtagnant & aceſcunt, tubulosque diſtendunt, vellicant maleqve afficiunt. Perinde vero eſt ſive frigore externo, ſive violentioribus articulorum motibus ac diſtractionibus, ſive humorum dyſcraſia, ſive ſpirituum inopia, ſive alia qvapiam cauſa vis tonica in tubulis partium fracta atque deſtructa fuerit. Præterea tubuli cumprimis excretorii, nec non pori extremitatum arteriolarum laterales nimis relaxati ampliatiqve particulas craſſiores ſalino-terreſtres, vel in ipſos articulos, vel in vicinas eorundem partes dum dimittunt, & doloribus, & tophaceis concretionibus non ineptam præbent materiam. Nam ut vero maxime videtur conſentaneum, quod fonticulus propter continuam purulentæ materiæ præſentiam tractu temporis talem pororum conditionem indipiſcatur, qvæ magis pravis, qvam bonis humoribus ſecernendis eſt idonea, ita fortasſis

taſſis pori ductuum articulorum ampliati, freqventi materiæ ſalino terreſtris allapſu tandem ejusmodi habitudinem acqvirunt, ut poſtea excipiendis ejusmodi particulis adeo apti ſint atque idonei. Nam qvod fere pori in arthriticorum articulis immutentur, *Fel. Platerus obſ. 2. p. m. 510.* præclare docet. Is enim autopſia confirmatus animadvertit, in arthriticis, podagricis maxime membra intrinſecus diuturnitate temporis perforari ductibus ſinubusque oblongis, anguſtis, ac ſi tineis vel xylocampis exeſa eſſent. Hinc dubio procul etiam eſt, qvod levi ſaltem cauſa data conſopitus aliquandiu dolor ſæpius ex improviſo revocetur, tametſi ceteroqvin nullum ſenſibile vitium in humoribus animadvertere qveamus. Imo hæc dubio ſine qvoqve eſt ratio, cur articularis morbus inveteratus curatu adeo ſit difficilis, cum culpa ſubinde magis in partibus ſolidis, quam fluidis hærere videatur.

§. XVII.

Eqvidem ordinis ratio jam poſtulare videtur, ut ſigna explicati morbi diagnoſtica tradamus, iis tamen in præſenti eo minus immorabimur, qvo luculentius ea ex data morbi deſcriptione habentur. Neqve vero de eventu ejusdem circumſpecte prædicendo jam ſolicitus ero, ſpecialius de eodem occaſione uſus thermarum verba facturus. Qvare propius nunc ad ſcopum noſtrum accedimus, cujus gratia univerſum hunc laborem in nos ſuſcepimus, ſcrutaturi penitius uſum thermarum Carolinarum in morbo articulari ſalutarem. Ad omnem vero confuſionem ſtudioſe vitandam ante omnia in aqvarum illarum naturam ſolicite inqviremus, poſtea rationes, uſum earundem impugnantes, ponderabimus, deinde rationes & obſervationes, uſum earundem illuſtrantes, proponemus, poſtremo cautelas ante, in, & poſt uſum thermarum obſervandas declaraturi. Qvod itaqve ad aqvarum noſtrarum naturam attinet, in ea certe definienda haud inter ſe conveniunt, qvi de thermis Carolinis ſcripſere. Sed miſſis aliorum hypotheſibus non citra rationem exiſtimo, aqvas haſce maxime fervidas ſapore non nihil ſalſo particulis alcalino terreſtribus atque martialibus, nec non ſulphureis eſſe impraegnatas. Siqvidem ſi aqvis hiſce ſpiritum vitrioli, aliumve li-

qvorem mitiorem vel fortiorem acidum inſtilles, manifeſtam obſervabis ebullitionem, quam etiam animadvertes, ſi ſalem, ex aqvis illis confectum, & aqva fontana ſolutum, cum aluminis vel ſachari ſaturni ſolutione, vel cum ſpiritu vitrioli, nitri, ſalis, aqva forti ſimilibusque liqvoribus acidis miſceas, e contrario aqvæ non minus, qvam ſales, ex iis parati, citra ullam effervescentiam cum ſalſis & alcalicis volatilibus æq;ac fixis conjunguntur. Præterea cum mercurii ſublimati ſolutio cum aqvis & ſalium ſolutione effervefcendo aurantii coloris det præcipitatum, atqve ſyrupi violarum utrisqve affuſi color nativus mutetur in virideſcentem, nemo fortasſis erit, qvi ſalem illum de natura alcalina participare negabit, ut adeo jam dudum *Cl. Wedelius in M. N. C. D. 2. An. 1. obſ. 9.* & non ita pridem Celeberrimus *Hoffmannus*, Archiater hodie Regis Boruſſiæ meritiſſimus, *in diſſertatione de thermis Carolin.* conſimilibus experimentis ſubnixi thermis noſtris ſalem alcalicum adſcripſerint, qvem tamen nitri veterum nomine condecorare *Cl. Bergero Diſſertat. I. de Carolinis Bojemiæ fontibus* placuit. Salinis vero particulis terreſtres ſunt interſperſæ, hinc illis aqvæ miniſterio elutis, nunqvam non terra levis inſipida & albicantis coloris remanet. Atqve experientia teſte libra una harum aqvarum drachmam dimidiam ſalis terreſtris complectitur, qvi iterata ſolutione terram martis haud expertem granorum circiter qvatuor vel qvinqve relinqvit, ut experimenta, aliquoties eum in finem adornata, me edocuerunt, & perbene modo laudatus *Bergerus* animadvertit. Qvod ad martem attinet, hujus exiſtentiam in aqvis noſtris *Chriſtianus Langius*, Profeſſor qvondam Lipſienſis celeberrimus, *in Tr. de thermis Carolinis C. 3. 26.* jam non obſcure probavit. *Obſervantes*, inqviens, *celebrata inſpectione aſſidua, aquas has Carolinas in ſuis aquagiis beneficio cauſæ & motus naturalis, dum originem ſuam egreſſæ ob ambiens frigus refrigeſcere incipiunt, contenta ſua ordine juſto, & primo quidem crocum quaſi graviorem (ſcil. martialem) poſt tophum quendam, & tandem quoque ſalis veluti florem deponere, ex proceſſu hoc pulchre naturali non dubiis indiciis facile conjecimus, res hasce foris appoſitas & contenta jam dicta in utero ſcaturiginis prius ſingula & cuncta medio aqua fuiſſe reſoluta, &*

per

per ebullitionem fervoris probe unita. *Poſtea*, pergit, *mercurium purum pellucidumque vitro (aperto tamen, ut eundem thermæ poſſint adluere) incluſum, in canalem quendam propemodum prope ſcaturiginem impoſuimus; atque mercurius noſter pauco dierum ſpatio & paulo poſt fuſca gryſeaque facie horruit, & priſtinam fluendi agilitatem, non nihil amalgamatus fere amiſit. Hinc ulteriori ſtatim collectione ſubſumſimus, mercurium hunc, ſi diutius fervori harum aquarum committeretur currendi lubricitate magis privari, & ſic in amalgama perfectum, vel præcipitatum martialem deniqve transmutari poſſe.* Minori longe labore atqve intra brevisſimum temporis intervallum vel ipſas martiales particulas ex thermis noſtris elicere poſſumus, ſi ductum *Lyſteri de fontibus med. Angl.* ſeqvamur. Is enim beneficio magnetis ex aqvarum variorum fontium ſalibus puris æqve ac calcinatis martem ex voto extraxit. Atqve idem omnino experimentum, cujus me primum *Bergerus*, Vir acutisſimi ingenii, mihique multis nominibus honorandus, certiorem reddidit, cum ſale thermarum noſtrarum ſuccedit. Magnetem enim ſi lente per ſalem in charta diſpoſitum ducamus, quamplurima tenuisſima ferri ramenta eidem adhærere, non citra animi voluptatem animadvertemus, quæ a magnete ſeparata, hujusqve vi rurſus attracta, liquide ſatis probant, non omni metallo deſtitui thermas. Imo dum jam ſub prelo ſudat Diſſertatio noſtra, in manus incidit modo laudati *Bergeri Commentatio de thermis Bojemiæ Carolinis*, in qua non modo prædicta confirmat, verum etiam præmisſis experientiis, ſupra allatis, & naturam ſalis thermarum alcalinam illuſtrantibus, prolixe ſatis docet, ſalem illum alcalicum commode nitri veterum nomine inſigniri, & multum cum nitro, cellularum noſtrarum lateribus adhærente, convenire. Præterea perſpicue oſtendit, ramenta ferrea non duntaxat ex thermarum ſale, verum etiam ex earundem ochra in pulverem redacta, & ignem nondum experta, vel calcinata, nec non ex pulvere, urceis figulinis, qvibus aqvæ thermales e fonte ad ædes deportantur, adhærente, magnetis miniſterio ex voto attrahi. Cumque tandem thermæ ſulphurei quid naribus objiciant, ac tophus uſtus & aqva ſolutus odorem gravem, ſulphureum ferrumqve olentem

ſpiret,

ſpiret, thermæqve in cucurbita vel phiola, poſtqvam dimidium abſtractum, remoto alembico, odorem volatilem, acrem & ſulphureum exhalent, optime iisdem ſulphureas particulas tribuit, quæ præterea ejusdem hypotheſi eximie favent. Omnem enim thermarum qvarumvis calorem ab halitibus pyritæ ſulphureis & ferreis deducit. *Ita quidem*, inqviens, *aquis merſus pyrites, dum ſuarum motu partium ſulphurearum & ferrearum mollitur & extenuatur, atque hinc concepto fervore æſtuque, vaporando paulatim totus in aquis diffluit & tabeſcit, pro illius varietate terentis motus, varium in his calorem accendit, thermasque efficit.*

§. XVIII.

Expoſita aqvarum natura conſideremus nunc, quæ uſum earundem impugnare videntur. Prolixus vero non ero in refutanda illorum ſententia, exiſtimantium, potationem illarum aqvarum tædioſam admodum eſſe, & naturam veluti eqvinam reqviri, ad tantam aqvarum copiam ingurgitandam. Nam ut nihil jam dicam de iis, qvi potu earundem mirifice delectantur, ut ſæpius immoderatam earundem ingurgitationem disſvadere cogantur Medici, eſto ſane non omnibus hanc potandi methodum gratam eſſe, atqve acceptam, modo ſalutari aqvarum fructu non excidant. Qvis enim, qvæſo, vomitorium, vel ſaltem purgans haud averſatur, qvorum tamen uſus propemodum eſt qvotidianus? Cauſa vero non eſt, cur haud pauci adeo inſigne robur, curæ huic ferendæ neceſſarium, præſupponant; qvippe cum aqvæ citra tormina alvum laxent, ac ſudoris & urinæ excretionem ex voto promoveant, inſuperqve infantes qvinqve, ſex pluriumqve annorum æqve ac ſenes, nec non ægri lecto etiam affixi aqvis hiſce interne, non cum virium imminutione, ſed earundem inſtauratione, utantur, ego ſane non video, cur vel eam ob cauſam ab uſu earundem debeamus abſtinere. Alii thermarum uſum pertimeſcunt, qvoniam vel ex ſupra dictis conſtat, qvod in aqvagiis aliisqve locis, ad qvæ pertingunt aqvæ illæ, ab iis ſeparetur materia, mox in tophum concreſcens, qvid ſi idem accidat in corpore, & ægri ſolaminis loco nodoſam arthritidem reportent, præcipue cum una cum aqvis haud exi-

gua

gua ſalis terreſtris copia aſſumatur. Ponamus enim qvempiã ſingulis mane viginti ſeptem ollulas epotare, aſcendunt vero ægri qvandoq; ad triginta, qvadraginta, pluresq; ollulas, potationi adaptatas, & in potatione qvindecim dies pergere, qvæ tamen ſubinde ad viginti pluresq; dies protrahitur, ſane intra tempus illud æger uncias circiter octo cum tribus drachmis ſalis terreſtris deglutiet. Tres enim ollulæ libram unam medicinalem conficiunt, & una libra drachmam dimidiam ſalis terreſtris complectitur. Licet itaqve hoc ipſum dubium non flocci ſit æſtimandum, & egomet ipſe audacter adfirmare nolim, nunqvam arthriticum poſt uſum thermarum in tophos incidiſſe, tamen uti ſæpius accidit, ut poſt aliorum præſidiorum uſum tophi hinc inde prorumpant, tametſi non neceſſario pro eorundem effectis haberi queant, ita etiam dubitari poteſt, an ipſæ thermæ materiam tophi præbuerint, præcipue ſi eædem intus ſumtæ vel ſponte, vel medicamentis ſimul adhibitis facile & cito vaſa pertranſeant, ac alvo, veſica ſpiraculisque cutis reddantur, hinc etiam eſt, qvod pene innumeri arthriticorum thermis noſtris freqventius utantur, articulis eorundem ab omnibus nodis tophisqve immunibus permanentibus. Sic memini duorum, quorum unus duodecies pluriesve, alter vicies aquas noſtras potavit, e qvibus ille, ad iram non parum pronus, & diætæ regulas exacte haud ſervans, a tophis & contractura quidem, aſt ab arthritico paroxyſmo haud immunis permanſit, hic vero nec tophos contraxit, nec ſalutari aquarum uſu caruit, quin potius inſigne ſolamen perſenſit. Alii exiſtimant, quævis medicamenta alcalia arthritidi maxime eſſe infeſta, cui ſententiæ cumprimis *Colbath* ſupra citatus favet, qvippe qvi præoccupata opinione laborans omnem arthritidis cauſam in unum ſal alcali rejicit. Nolo qvidem in præſenti audacter adfirmare, thermas noſtras quibuslibet arthriticis podagricisque indiſcriminatim conducere, cum ſane autopſia contrarium omnino doceat. Dubio enim procul, quorum ſangvis nimis acribus, & ad alcalinam naturam vergentibus, particulis ſcatet, iis minus congruere videntur thermæ noſtræ. Nam epotæ quandoque dolores provocant, aut præſentes inſigniter

multiplicant, nec continuatæ mitigant, ſed potius æſtum corporis adeo intendunt, ut ab ulteriori earundem uſu abſtinere cogantur ægri. Qvare exoptandum foret, ut thermarum ſal magis refrigerantes nitratorum virtutes æmularetur; namque id certum eſt, qvod thermæ nimis exæſtuante ſangvine, & paroxyſmo febrili præſente, magis nocumento ſint, qvam emolumento. Hinc quidem febre ardenti ſimilique correpti non citra euphoriam fervido foliorum thee infuſo & nitratis utuntur, quibus tamen nihil minus quam thermarum uſus congruit, experientia id ſatis ſuperque confirmante. Neque vero diſſimulare poſſum, ipſas thermas Carolinas alere arthriticos podagricosque, qvibus earundem uſus minus congruere videtur, tametſi advenis ſubinde maxime ſit ſalutaris. Cum enim aër illic loci propter copioſiſſimos vapores, in eundem ex fonte fervido balneisve transmigrantes, particulis alcalicis inſigniter ſit turgidus, & inſuper cerevisia ex fluvio, in qvem inſignis thermarum copia fluit, paretur, atque thermæ ipſæ farinæ ſubigendæ ad panem parandum, deplumandisque avibus ac ſimilibus uſibus inſerviant, fortaſſis in arthriticis illius loci magis ſal alcalicum, qvam aliud qvodpiam peccare videtur. Hinc mihimet ipſi quidam ex incolis eſt notus, qvi diu multumque articulari morbo laborans, vel eam ob cauſam ſedem ſuam mutare coactus fuit, quia nec thermarum uſum, nec aerem illius loci atmoſphæricum impune ferebat. Aſt cum rariſſime, ut ſupra jam dum monui, arthritis a ſale ejusmodi pendeat, tantum ſane abeſt, ut qvævis alcalia in arthritide rejicere debeamus, ut potius eadem ſaluberrimi ſint uſus, quod ſpeciatim de thermis noſtris intellectum volo. Eqvidem non nego, plerumqve earundem uſu paroxyſmos novos interdum ſatis atroces ſuſcitari, qui alcalino principio haud debentur, id tamen ſaltem ex accidenti fieri, non ſine ratione arbitror, qvatenus ſcilicet eædem cauſam morbificam hactenus conſopitam in actum deducunt, qvæ tamdiu tyrannidem ſuam in articulos exercet, donec vel edulcorata, vel evaporata fuerit. Nam qvod aqvæ hæ alcalinæ in ſe ſpectatæ dolores in articulis haud excitent, vel inde colligimus, quoniam

conti-

continuato earundem uſu provocati dolores omnimode leniuntur, qui fortasſis intenderentur, ſi omnes ortum ab alcalino principio traherent. Et venit in mentem viri cujusdam generoſi, diu multumque & arthritide & contractura pedum manuumqve laborantis; is enim ante annos tres tanta cum euphoria thermis, qvarum uſum tamen ſæpius Medici eidem disſvaſerant, uſus erat, ut ab illo tempore ab omni cruciatu pene immunis vixerit. Is ipſe præterito anno ad thermarum aſylum rurſus confugiens vix quatuor vel quinque dies aquas potaverat, cum in podagram utriusque pedis incideret, cui mox ſuccedebat chiragra, utramque manum occupans, quibus non nihil mitigatis, dolor genua & femora invadebat, qui poſtea & cubiti & humeri articulum, tandemque etiam cervicis vertebras infeſtabat. Licet itaque generoſæ & mitiſſimæ indolis vir dolores ſat exqviſitos perſentiſceret, tamen cum alimenta haud averſaretur, ſed eadem non citra appetitum comederet, autor ipſi fui, ut non obſtante dolore, & qualiquali interpolata corporis incaleſcentia, uſum aquarum continuaret, & vere cura ad finem nondum perducta plenarie ab omnibus doloribus fuit liberatus, ita, ut facies ejus antea pallida, nunc vivido colore perfuſa conſpiceretur, artusque ante curam debilitatos, nunc corroboratos confirmaret, alimenta cæteroquin appetens, & ſomnum tranquillum capiens. Cumque jam diſceſſum meditaretur, forte veſicula quædam circa malleolum pedis dextri externum efflorescebat, quæ inciſa multum ſeri calce mixti plorabat, quæque excretio ſeri æque ac calcis aliquandiu, aſt citra dolorem durabat. Hac data occaſione non potui non ſerum promanans convenientibus vitris excipere, eidemque & ſyrupum violarum, & acidum liquorem ſeorſim affundere, & vere ſyrupus nativum ſuum colorem in pallide viridescentem mutabat, in altera vero mixtura nullam ſenſibilem ebullitionem obſervare potui. Ut ut itaque quis ex ſero viridicante colligere poſſet, illud fuiſſe alcalinæ naturæ, atque dolorum antecedentium auctorem; tamen, licet concedam illo cumprimis tempore, ubi magna copia ejusmodi aquarum alcalinarum aſſumitur, univerſam maſſam ſanguineam, ceterosque

liquores ſale alcalino imbui, hi tamen mitioris naturæ, nec multum exſuperantes, & probe temperati, ſubacta & evacuata materia peccante, cum tranquille & citra dolores partiū tubulos pervadant; imo non modo dolores conſopiant, verum etiam paroxyſmos frequentiores protrahant, aut penitus profligent, ego quidem non video, cur ſal alcali tanquam cauſam unicam podagræ vel arthritidis ducere, multo minus cur a fontibus hujusmodi ſalubribus abſtinere debeamus. Et licet haud pauci arthiticorum parum vel nihil allevamenti ex harum aquarum uſu ſentiant, qualia exempla mihimet ipſi ſunt nota, tamen ejusmodi ægri perverſa ſæpius methodo aquis hisce utuntur. Præclare enim *Helvigius* inquit: *quam egregiam ceteroquin rite in uſum ducta aquæ minerales præſtant operam: tam male viciſſim cedunt, ſi quid in earum administratione delinquatur, quod cum non uno modo obtingere, & difficulter absque Medici præſentia, cunctaexactius perpendentis, præcaveri queat, ſiniſtri eventus cauſam determinare, difficile eſt. Obſ. Medic. Phyſic. p. 181.* Quale judicium quoque eſto, quando ægri ad venerem, iram, ſimiliaque animi pathemata maxime ſunt proni, vel graviores errores in cibo potuque ac ceteris rebus ſex non naturalibus committunt, ut adeo non mirum ſi & thermæ & alia generoſa remedia ipſis parum ſolatii adferant. Imo quantumvis etiam unus alterque, diætam exactam ſervans, thermarumque curam circumſpecte obiens, citra ſolamen a thermis diſcedat, propterea tamen uſus earundem rejiciendus non eſt; niſi quævis remedia generoſiſſima ſimul repudiare velimus, utpote quibus nonnunquam omnipotens Numen ſubtrahit vires, quo minus ægroti ex voto priſtinæ ſanitati reſtituantur. Quare ſufficit, quod articularis morbus, optimis ſubinde præſidiis fruſtra adhibitis, demum uſu noſtrarum aquarum curatus, aut delinitus fuerit.

§. XIX.

Deſtructis argumentis, uſum thermarum noſtrarum impugnantibus, non poſſumus non, ordinis ſic jubente ratione, non contemnendis & rationibus & obſervationibus ſaluberrimum earundem uſum fulcire ac corroborare. Sane ad articularem morbum rite præcavendum, ac radicitus extirpandum,

pero-

peropus eſſe videtur, ut primæ viæ a ſordibus repurgentur, & ſangvinis dyſcraſia corrigatur; ac articulorum non minus, quam aliorum viſcerũ tonus labefactatus inſtauretur ac corroboretur. Namque niſi primum cruditates, in primis viis ſtabulantes, appropriatis vomitoriis & laxantibus evacuentur, hæ non tantum malo novum ſemper fomitem præbent, verum etiam medicamentorum, intemperiem ſangvinis corrigentium, vim infringunt, imo ſubinde eadem nociva magis, quam proficua reddunt. Hisce autem præmisſis alterantia, diuretica, diaphoretica, ſalivatoria ſimiliaque laudari merentur, utpote quæ non modo nocivas particulas, multarum moleſtiarum auctores, per varia corporis cola evacuant, ſed & ſangvini juſtam temperiem & craſin conciliant, ac obſtructiones reſerant. Tandem roborantia tum externa, tum interna adhibere convenit, quo ſic articuli roborati itum reditumque humorum promoveant, nec ſtagnandis iisdem occaſionem ſubminiſtrent, ceteraque viſcera muniis ſuis ac depuratione humorum rite perfungi posſint. Cum itaque aquæ noſtræ cunctis iſtis curativis indicationibus apprime faciant ſatis, ipſis neceſſario peculiaris virtus in ſanando morbo articulari competit. Habent enim vim & vomitum ciendi, & alvum frequenter admodum laxandi. Licet enim non omnibus accidat vomitio, plures tamen primis præſertim potationum diebus aquas deglutitas revomunt, præcipue quorum ventriculus, pondere & ſtimulo aquarum irritatus, ſtatim in inordinatos projicitur motus, aut qui non citra nauſeam aquas illas aſſumunt, vel quorum primæ viæ cruditatibus ſcatent, quippe quibus aquarum vi agitatis multoties non citra euphoriam vomitus inſequitur. Ordinarie vero aquæ illæ pro diſcrepante ægrotantium idioſyncraſia modo ſexies, modo decies pluriesve dubio ſine propter ſtimulum ſalinum admixtum benignisſime ſingulis diebus alvum ſolvunt, multumque ſaburræ per inferius guttur expellunt. Præterea eædem ſudorem & urinam potenter concitant. Equidem nonnulli potatorum parum vel plane non ſudant, quod iis præcipue accidit, quorum pori cutanei nimis anguſti, liquoris ſeroſi ſequeſtrationi minus favere videntur, ordinarie tamen ſu-

dor largus, & induſia & interdum reliqua veſtimenta madore notabili imbuens, promanat. Cum enim aquæ noſtræ actu ſint fervidæ, ſulphureisque particulis impraegnatæ, & ſalino ſtimulo acuatæ, largaque earundem copia aſſumatur, non poteſt non ſangvis in concitatiorem paulo motum abripi, a quo decenter præparato deinceps multum ſeri a ductulis ſubcutaneis ſeparatur, ſudorisque forma excernitur. Neque ab alia cauſa frequens obſcœni liquoris excretio pendet, quæ interdum diurno æque ac nocturno tempore durat. Habent etiam aquæ noſtræ vim per alias vias pravos humores evacuandi. Hinc rarum non eſt, quod potatores modo ex naribus, modo ex ore pituitam copioſam excernant, imo quandoque in ptyaliſmum plane incidant, id quod in duobus animadverti, quibus dubio procul mercurialia perverſa methodo erant propinata, utpote qui matutino tempore citra tamen moleſtiam ullam aliquot librarum ſalivæ exſpuebant. Quis itaque inficias ibit, aquas illas ad eliminandos ſales ſylveſtres aliasve particulas nocivas maxime efficaces eſſe ſalutaresque, præcipue cum ſudor emanans, & ſaliva in oris cavum confluens, ſubinde notabili ſalſedine lingvam adficiat, & lotium interdum copioſiſſimis ramentis ſalino tartareis aculeatum extra corporis habitum exprimatur, nec non humores, quos alvus reddit, anum frequenter exedant, ac inſignem potatoribus moleſtiam pariant. Inſuper aquæ noſtræ dyſcraſiam ſangvinis ceterorumque humorum ex voto corrigunt. Ut enim nihil jam dicam de ſudatione, mictione & purgatione, quibus jamdum ſangvis a variis quisquiliis repurgatur, ſane uti particulæ aqueæ fervidæ ſalibus diluendis, & eædem ſtimulo ſalino impraegnatæ viſciditati humorum diſcontinuandæ, & obſtructionibus hinc inde occurrentibus reſerandis, optime conducunt, ita ſpeciatim alcalino terreſtres ac martiales particulæ acidum peregrinum potenter deſtruunt, ac una cum aqueis ſales ſylveſtres edulcorant, juſtamque craſin humoribus conciliant. Tandem nec vim roborandi aquis hiſce, ſive externum, ſive internum earundem ſpectes uſum, denegandam eſſe exiſtimo. *Cl. Schrœckius* de thermis Piperinis verba faciens: *ſunt autem*, inquit, *temperate calidæ*

ſuamque

ſuamque virtutem ſpirituoſa quadam ſubſtantia, quæ merito thermarum anima vocatur exſerunt. Quo ipſo ſane torpentes & a viſcidiori vel craſſiori nervoſo ſucco in libera actione ſua impeditos animales ſpiritus refocillare, ac emendato peccante humore ſui iterum juris facere utique poterunt. vid. Schol. in obſ. LI. Helvigii. Sane aquæ noſtræ non temperate calidæ, ſed fervidæ prorſus ex interioribus terræ viſceribus dum proſiliunt, ſimul dilucide docent, eas ſubtilisſimis maximeq; activis particulis, quocunq; demũ nomine eædem veniant, eſſe imprægnatas. Hinc veritati maxime videtur conſentaneum, aquas haſce non modo tubulos, manifeſta cavitate donatos, ex voto pervadere, verum etiam ſubtiliorem ac maxime activam earundem partem ad nervos ipſos tranſire, lentoremque humiditatis diſſolvere, ac ſpirituum influxum, ad quaslibet corporis partes ſolidas actuandas abſolute neceſſarium, intendere ac inſtaurare, ut adeo neutiquam aquis noſtris vis roborandi deneganda, nec earundem uſus in quibusvis pene capitis nervorumque adfectibus indiſcriminatim contemnendus ſit, cum ſane apoplectici, paralytici ſimilesque, de quibus fortaſſis aliquando commoda magis nobis differendi dabitur occaſio, non citra euphoriam iisdem utantur. Præterea & alio modo univerſo corpori robur addunt. Ut enim nihil jam dicam de pravis humoribus, tonum partium ſolidarum labefactantibus, virtute harum aquarum correctis, ſaltem vim, quam in partes ſolidas exſerunt, impræſentiarum commemorabo. Interne enim ſumtæ ratione caloris æque ac ſalino terreſtrium particularum tubulos ventriculi, inteſtinorum, cordis, vaſorum ſanguiferorum, aliarumve partium blande titillant, ac vellicant, ſicqve motum earundem accelerant, & pedetentim tonum labefactatum renovant. Neque minus balneum refocillandis viribus inſervit; ad balneum enim ſolum aquæ tepidæ, a copioſisſimis particulis terreſtribus, ad ſolii fundum deturbatis, repurgatæ, adhibentur, hinc earundem calore tepido non modo partium, iisdem ſubmerſarum, verum etiam ceterarum pori recluduntur, & occulta transſpiratio acceleratur, indeq; procul dubio eſt, quod ordinarie in extima cutis ſuperficie bullulæ, eidem aliquandiu adhæreſcentes, efloreſcant, cum præter humi-

das

das particulas aëreas quoque, calore externo rarefactas, ſimul exſpirare, vero videatur ſimillimum. Atque non ſimplici vice animadverti, pus ſimilemque materiam, ſub cute abſconditam, tepidarum illarum aquarum vi ex voto veluti extractam fuiſſe. Neque vero aliam ſubeſſe rationem, reor, cur balnei uſu purpura rubra, ſimiliave cutis exanthemata in ſcabioſis & ſcorbuticis modo provocentur, modo præſentia non retropellantur, ſed eorundem excretio promoveatur, ut adeo iis vix aſſentiri queam, omnem virtutem balnei in ſolam aquarum gravitatem ſtypticitatemque rejicientibus. Ut ut vero inſenſibilem transſpirationem auctam a tepore harum aquarum deducam, hac tamen non obſtante ſimul exiſtimo, ſubtiliorem magisque activam earundem partem patentes cutis poros ſubire, humores viſcidos reſolvere, ac tubulos partium leniter titillare, ſicque eorundem tonum labefactatum corroborare. Atque hæc dubio ſine eſt ratio, cur ſudor copioſus a paulo calidiori balneo mox excitetur, & cur nonnulli balneo calido abutentes in febres ardentes incidant, cum ſane particulæ calidæ & activæ, ſine ordine & impetuoſe in corpus irruentes, irregulares ſanguinis motus ſuſcitando craſin ejus naturalem inſigniter lædant, atque ſic febres aliave ſymptomata producant.

§. XX.

Quemadmodum itaque ratio thermarum uſui haud repugnat, ita autopſia eundem penitus confirmare videtur. Quantumvis vero multi de thermis Carolinis ſcripſerint, & etiam hinc inde uſum earundem in arthritide modo commendarint, modo rejecerint, tamen, ut ingenue fatear, perpauca exempla, rei veritatem illuſtrantia, in eorundem monumentis invenies, cum tamen multum faciant ad timidos, uſum thermarum anhelantes, erigendos, & ad incredulos convincendos, qui ſæpe præoccupata opinione laborantes id contemnunt, quod non ſatis exacte intelligunt. Proinde *Reudenius* & *Cl. Strausſius*, Archiater Saxo-Martisburgenſis meritisſimus, debitas merentur laudes, quod ille obſervationes Carolinas ediderit, hic vero tractatui, de thermis Carolinis eleganter admodum conſcripto, hiſtorias lectu

perju-

perjucundas ſubtexuerit. Et exoptandum foret, ut Celeberrimus *Strauſſius*, Fautor noſter multis nominibus venerandus, plures obſervationes, quas longo rerum uſu ſibi acquiſivit, publico communicaſſet, aut etiamnum communicaret. Non ingratum autem fore arbitramur, ſi ex utriusque ſcriptis tres obſervationes, huc ſpectantes, proponamus.

Anno 1687. inquit laudatus *Strauſſius*, menſe Auguſto, „ ſexagenarius quidam G. O. obeſulus, florido vultu, calculo, „ & podagræ ab aliquot annis obnoxius, noviſſime in graves ſini- „ ſtri lateris dolores inciderat, qvos licet medicaminum uſu miti „ garet, tollere tamen in totum non poterat. Hinc ad Caroli- „ narum opem confugiens curamqve rite auſpicatus proximo „ die ſemel atque iterum aqvas revomuit, inſeqventi mane reti- „ nuit, atqve ab epotis ſeptendecim ollulis liberale ſenſit urinæ „ profluvium cum notabili dolorum remisſione. Perrexit vero „ potatione in octavum diem ad XXXVII. ollulas adſcendendo, „ qvas poſtmodum in ſecunda cura pariter cum euphoria aſſum- „ ſit, ne minimo quidem dolorum veſtigio remanente, urina au- „ tem copioſisſimum ſabulum rubrum egerente. Balneum, cui „ qvavis periodo ſex dies dicati, optime tulit, pedibus inde, ut „ ajebat, qvaſi robore perfuſis. Hinc agilitatem ſuam expertu- „ rus ſummitates montium perluſtravit, & optime inde valens do- „ mum repetit, ultra annum integrum liber ab omni podagræ „ & calculi inſultu.

Dn. F. uxor XXIV. annorum, pergit, lancinante artu- „ um dolore, appetitu dejecto, reſpirandi difficultate, vigiliis „ diu conflictata, maciem totius corporis contraxerat, ut cutis „ vix oſſibus hæreret. Thermarum vero auxilio confiſa compo- „ tationis, tum balnei curam ad ſeptem dies ex præſcripto ge- „ minavit, ad XXX. ollulas ebibendo, tanta ſucceſſus felicitate, „ ut & ſomnus & appetitus, nec non plenior ſpirandi libertas re- „ diret, dolor vero ſucceſſiva remiſſione evaneſceret. Hinc recol- „ lectis domi viribus carnem augeſcere, faciemque vivido ſuffundi „ denuo colore ſenſit. Inſequenti anno iteravit curam inſigni „

valetudinis commodo ita, ut in hunc usqve diem adhuc ſana & incolumis perſtetqve ac duret. vid. Hiſt. V. & X.

Reudenius obſervat. Carolin. pag. 76. meminit cujusdam mulieris generoſæ, qvæ primum imi ventris doloribus divexata, poſtea in paralyſin manuum pedumque, nec non dolores articulorum exqviſitos, atque univerſi corporis tabem prolapſa erat, hæc ductu auctoris thermis qvatuor hebdomadas & qvod excurrit interne & externe uſa parum levaminis ſenſit, aſt, poſtqvam domum rediit, indies melius ſe habuit, & pedetentim ſanitatem recuperavit, ita, ut in ſequenti anno ſaltem præſervationis & animi recreandi gratia ad thermas ſe contulerit.

D. Ioh. Georg. Volckamerus de podagrico qvodam ſequentia refert: Generoſus quidam Baro, inqvit, non procul a thermis Carolinis " qvovis anni tempore podagræ torminibus coactus eo accelerat " in media hyeme, & ſe immergit in calidam, inibique commo" ratur eousque donec dolorem remittere ſentit. Aliqvando " ſæviente licet frigore ad LXXIX. horas in aqvis inſidens ſe deti" nuit, inibiqve cibum aſſumſit, dormivitqve. In potu non " parcior, ſed immenſam ſubinde admiſit calidæ qvantitatem ad " urceos qvandoqve XV. vel fictilium ad potum uſitatorum a du" centis ad qvingenta. Qvid? qvi nonnunqvam ad qvinqve ur" ceos thermales glacie refrigeratos, ut crudelitati podagræ ob" viam iret, epotavit, citra qvalemcunqve noxam, dein ſe lecto " ad ſudandum commiſit, victorqve tandem dolorum exſtitit. " Poſt prandium largiori ſe vini potatione reficere conſvevit. In" ducias tandem ad qvadriennium ab articulari iſto obtinuit mor" bo. vid. M. N. C. Dec. 2. an. 2. obſ. 179.

D. Matthæus Klingeiſen doloribus iſchiadicis ſuccumbenti conſilio ſuccurrens, teſtatur, ſe ſingulari & longa obſervatione ſæpiſime manifeſtam efficaciam expertum fuiſſe in robore coxendicis per lotionem in thermis Carolinis, actu & virtute calidis, præſertim cum per duos menſes fuerint continuatæ vid. *Reuden. Epiſt. VII.*

Cl. Dn. D. Budæus Phyſicus Luſatiæ ſuperioris meritisſimus, Fautor & amicus meus ſingulariter colendus, in litteris ad me per-

perſcriptis cujusdam Theologi hypochondriaco-podagrici meminit; qvi novem annos podagra utriusqve pedis laboraverat, ita, ut qvandoqve tres, alio tempore qvatuor vel undecim dies, imo aliqvando octo hebdomadas lecto affixus exqviſitiſſimis torqveretur cruciatibus. Et licet optima præſidia adhibita fuerint, tamen malum vix mitigari, nedum exſtirpari potuit. Qvare ſvaſu ſolertisſimi illius Medici an. 1698. menſe Maji ad thermas Carolinas profectus curam, laxativo præmiſſo, bono cum Deo auſpicabatur, eandemqve qvatuor ſeptimanas & bibendo & lavando non citra varia ſymptomata continuabat. Licet enim aqvarum harum virtute multæ particulæ pravæ & acres per alvum, urinam & ſudorem evacuarentur, id qvod non obſcure dolor in ano, ſabulum una cum urina promanans, & maculæ in corporis peripheria eﬄoreſcentes docebant, tamen appetitus dejectus, & hypochondriorum inflationes ac cardialgia ipſi varia incommoda pariebant, hinc etiam ſvaſore præſente Medico aqvam Rulandi aſſumere cogebatur, qvæ ἄνω καὶ κάτω ſaburram vitioſam evacuans eidem haud parum levaminis afferebat. In fine curæ dolor pedes invadebat, qvi qvidem atrox non erat, tamen & tumidis & dolorificis pedibus iter ingreſſus claudicans domum redibat. Ab illo vero tempore, tumore & dolore paulatim evaneſcente, a malo illo penitus immunis perſtitit, ſaltem qvod intra decem annorum ſpatium tribus vicibus leviorem paroxyſmum, vix viginti qvatuor horas durantem, expertus fuerit. Anno 1704 & 1706 aqvas illas ſalutares ex thermis ſibi transportari curavit, & iisdem probe calefactis domi interne uſus eſt, tanta ſucceſſus felicitate, ut freqventer alvum exonerarit, multumqve urinæ & ſudoris excreverit, non neglectis crebrioribus digeſtivis & laxantibus, exitum aqvarū promoventibus. Et teſtatur modo laudatus *Budæus* qvod & alii ſvaſerit, ut aqvas iſtas ſibi transferri curaret, qvas non minori euphoria ægrotus aſſumſit ſimul animadvertens, aqvas haſce tempore illo ſapore admodum eſſe adverſo, freqventioraqve & digeſtiva & purgantia ad facilitandum aqvarum exitum reqviri.

Cl. Dn. D. Schmiedel, Archiater Barutenſis meritiſſimus,

Conſulis hypochondriaco-ſcorbutici in litteris ad me datis mentionem facit, qvi propter vitam ſedentariam & largiorem vini potum arthritidem vagam & ſpeciatim podagram ſibi contraxit; qvam per triennium freqventioribus interpolatis paroxyſmis non citra dolores urentes perpeſſus nullis medicaminibus lenire, multo minus profligare potuit. Aſt duplex thermarum uſus eidem tantum ſolamen peperit, ut ab illo tempore ſaltem hyberna tempeſtate leviores articulorum intumeſcentias ac pene indolentes ſenſerit.

Dn. Bachmann, Conſul & Chirurgus thermarum illarum optime meritus, præterito anno bona fide mihi retulit, mulierem qvandam, ex ira & terrore in arthritidem & poſthac in contracturam manuum pedumqve prolapſam, integrum annum tam miſere vixiſſe, ut nec alimenta in os ingerere, nec ambulare potuerit. Et licet plurima præſidia adhibita fuerint, tamen nec dolores ſævientes mitigari, nec motus vitioſitas emendari potuit, corpore interea temporis ſceleti inſtar extenuato. Qvare anno 1702 autumnali tempore ad thermas translata potationis curam ad qvinqve, balnei curam ad tres dies triplicavit. Durante prima cura dolores notabiliter fuere aucti, in fine tamen balnei primi non nihil conſopiti. Altera cura majus ſolamen attulit, utpote qva non modo dolores notabiliter remiſerunt, verum etiam appetitus ciborum cum ſomno rediit. Tertia tandem cura in tantum reſtituta fuit, ut manibus alimenta prehendere, ori committere, & ſcipione adjuta nonnihil ambulare potuerit. Domum reverſa indies melius ſe habuit, & vix ſemeſtri tempore elapſo domeſticis laboribus ex voto præeſſe potuit, ac poſtea gravida facta plenarie ſanitatem recuperavit.

Anno 1705. Vir nobilitate clarus, S. obeſulus, ſucci plenus, XLV circiter annorum, chiragra & podagra diu multumq; laborans, eximia ſucceſſus felicitate ſeptem dies aqvas pedetentim ad XXX. ollulas adſcendendo potavit, balneoqve tres dies ſe commiſit, qva cura reiterata poſthac a malo illo pene plenarie liberatus fuit. Ut autem novum paroxyſmum præpediret, vernali cumprimis & autumnali tempore ſangvinis miſſione aliisve

ve medicamentis ſangvinem purificantibus tanta cum euphoria uſus eſt, ut, licet nonnunquam dolores effatu vix dignos perceperit, muniis tamen ſuis citra impedimentum perfungi potuerit.

Fœmina ſummo loco nata, D. mitiſſimæ indolis, maxime ſcorbutica, trigeſimum annum nondum ſupergreſſa, aliqvot abhinc annis arthritide vaga laboraverat, & die poſt partum circiter undecimo ex improviſo in contracturam manuum pedumque delapſa erat. Quantumvis vero præſtantiſſima remedia integrum annum adhibita fuerint, tamen de irrito eorundem ſucceſſu generoſa illa conqueri neceſſe habuit. Qvare manuum pedumque uſura orbata, & intenſisſimo dolore iſchiadico excruciata, thermarum auxilio confiſa Anno 1603. iter ingrediebatur, tandemque ſuperatis multis moleſtiis ac cruciatibus, autumnali tempore thermas appellebat. Præmiſſo itaq; cathartico octo hebdomadas thermis uſa eſt, ita, ut primæ potationi novem, balneo vero qvatuor dies, alteri potationi qvatuordecim ac balneo quinq; dies, tertiæ demum potationi qvinq; & reliqvos balneo impenderit, non neglecto interpoſito purgantium uſu. Durante cura bene ſatis ſe habebat, niſi qvod catarrhus levioris momenti in altera cura eandem invaderet, purpura rubra interea temporis ex univerſi corporis peripheria affatim prorumpente, qva licet præſente cum euphoria in calidam ſe immerſit Nullum autem aliud ſolamen perſenſit afflicta, præterquam qvod aliqvantum ſellæ inſidere, qvod antea propter ineffabiles anxietates & cruciatus in ejusdem poteſtate relictum non erat, & crus ſiniſtrum nonnihil attollere potuerit, doloribus male affecti femoris ſimul parum remittentibus. Ex thermis aliunde translata qvatuor hebdomadas ab omnibus remediis abſtinens parum allevamenti experiebatur, iisdem vero poſtea & externe & interne adhibitis, paulatim omnis evanuit dolor, brachiaqve ac pedes motum recuperarunt, permanente tamen tanta crurum debilitate, ut ambulare nequiret. Qvare altero anno vernali tempore rurſus thermarum auxilium implorans novem ſeptimanas circiter in iis commorata eſt, & poſtea thermas quoque Teplicenſes adiit, balneo

qvatuor ſeptimanas uſa. Utræque vero thermæ nullum aliud levamen eidem attulere præter robur in articulis majus.

Vir præcellens K. qvadraginta octo circiter annorum carnoſus ac ſcorbuticus, octodecim annos podagra, chiragra, imo ſubinde arthritide vaga laboraverat, cujus mali originem largiori vini Hungarici aliorumve uſui, nec non iræ, ac frigori intenſo tribuebat. Licet vero ad expulſandum ingratum hoſpitem præter alia generoſa remedia aquis Pyrmontanis octies, & acidulis Egeranis ſemel uſus eſſet, voti tamen ſui compos fieri haud poterat. Quare anno 1702. vernali tempore ad thermas, non obſtantibus cervicis ac podagricis qvibusdam doloribus, properavit, atque præmiſſo laxativo qvinqve dies pedetentim ad ollulas 27. aſcendendo ſumma cum euphoria potavit, duosqve dies balneo dedit, ſimilemqve curam repetiit, non omiſſo uſu purgantium interpoſito. Cumqve aliis gravioribus diſtractus negotiis, diu commorari haud poſſet; ſvaſor eidem fui, ut durante altera potationis cura veſpertino tempore pediluvio, ex thermis temperatis parato, uteretur, qvod eidem tam feliciter ceſſit, ut non modo pedes novo veluti robore perfuſos ſentiret, verum etiam ab omnibus doloribus duos annos immunis perſtiterit. Cum vero anno 1705. appropinqvante vernali tempore leniter pulſantem podagram in uno tantum pede perciperet protinus in thermas ſe contulit, ſimilem inſtituens curam, qvam hunc usqve in diem magnis extollit præconiis.

Vir præſtantisſimus D. qvadraginta circiter annorum, obeſulus atqve ſcorbuticus, diu multumque podagra & arthritide laboraverat, ita, ut qvandoqve ſeptem hebdomadas iniqvo illo morbo conflictaretur. Hinc qvamplurimis præſidiis in caſſum prorſus adhibitis, tandem anno 1705. vernali tempore Carolinarum aſylum acceſſit, iisqve interne & externe tanta cum euphoria uſus eſt, ut ab illo tempore ab omni malo liberatus fuerit, inſeqventi anno præſervationis ſaltem gratia eandem curam repetens.

Miles quidam pauperculus, quadraginta ſeptem annorum, habitus emaciati, qvatuor annos arthritide laboraverat, cujus

mali

mali originem frigori intenſo, & diætæ perverſæ adſcribebat. Qvippe undecim annos in Hungaria commoratus ſæpius intenſiſſimum frigus ſufferre, & ob penuriam ſummam ſubinde carne equorum, canum, camelorumque aliisve pravis eduliis veſci coactus fuit. Et licet varia ad leniendos dolores atrociſſimos adhibuerit, tamen ab iis liberari haud potuit, quin potius tandem in contracturam manuum pedumque incidens duodecim pluresque hebdomadas lecto affixus hæſerit, hincinde tophis eximiæ molis ſimul efflore ſcentibus. Siquidem utriusqve pedis extremi pars inferior in apoſtema velut lapidoſum erat converſa, e qua ſubinde fruſta ovi columbini magnitudinem æquantia imo ſuperantia eximebantur, quæque cretæ in modum ligno maculam impingebant albam. Pauperculus itaque miſeriarum & dolorum pleniſſimus tandem anno 1705. vernali tempore thermarum auxilium imploravit, atque præmiſſo laxativo novem dies, pedetentim ad triginta ollulas adſcendendo, balneo qvinqve, alterique potationi, ſervato eodem ollularum numero, ſeptem balneoque tres, ac poſtremæ potationi tres & duos dies balneo dedit. Durante cura paucula ſenſit incommoda, hinc ſaltem, finita qualibet potatione, purgante uſus. Impenſe autem gaudebat, quod amiſſam manuum pedumque uſuram recuperaverat, ita, ut ſcipionibus abjectis, in hypocauſto nonnihil ſolus ambulare, & domum rediens laboribus conſuetis, (cribra vero conficiebat,) præeſſe potuerit. Licet itaque tres fere annos ab omni arthritico paroxyſmo tutus vixerit, tamen anno 1708. appropinqvante vernali tempore in novos dolores delapſus protinus ſe in thermas contulit, cumque dolores potatis aliquandiu aquis intenderentur, balneo ſe commiſit, & ſubinde a ſeptima matutina ad ſeptimam veſpertinam in iis commoratus eſt, quod ei adeo feliciter ceſſit, ut omnes dolores non duntaxat profligarentur, verum etiam pedes brachiaque majus robur acquirerent, imo tumores antea duri, aquarum vi emolliti, & citra cruciatus rupti, materiam tartareo-ſeroſam plorarent, de quibus ſimul teſtabatur, eos non ante conſolidari, quam omnis materia fuerit excreta, conſolitatione veluti ſponte ſuccedente.

Vir

Vir quidam honoratus P. quadraginta quatuor circiter annorum, cachectico-ſcorbuticus, obeſulus, lautaque ac ſplendida diæta uſus, aliquoties paroxyſmo podagrico laboraverat, cumque præterea pedes anno 1706. hyberno tempore tumor oedematoſus, ultra genua prorepens, invaderet, ſimulque inſignem ſpirandi difficultatem experiretur, inſeqventi vere, pluribus medicaminibus propemodum in caſſum adhibitis, ad Carolinarum opem confugit, atqve præmiſſo laxativo aquas paulatim ad ollulas 27. adſcendendo ſeptem dies potavit, tresqve balneo impendit, eandemqve curam reiteravit. Durante cura bene ſe habuit, hinc eidem nonniſi in fine cujuslibet potationis pilulæ purgantes præſcriptæ fuere, & qvoniam eædem multum ſaburræ citra tormina evacuarent, iisdem bis adhuc ante diſceſſum eſt uſus, unde factum, ut pedetentim tumor oedematoſus, non neglectis faſciis pedibus ſubinde injectis, & pediluviis ex thermarum aquis paratis tempore potationis alterius adhibitis, evanuerit omnis liberrimeque reſpiraverit, ac ab illo tempore ab omni tumore ac podagra & difficultate ſpirandi pene immunis vixerit, niſi qvod aliqvando unum alterumque diem podagram, doloribus effatu vix dignis moleſtam, ſenſerit, ad quam averruncandam præterito anno uſum thermarum repetiit tam fauſto cum ſucceſſu, ut hucusque vitam vegetam & incolumem degat.

Juvenis octodecim annorum G. ſucci plenus atque ſcorbuticus, qvatuor annos gonagra cum ineffabili urente dolore conjuncta laboraverat ita, ut verno cumprimis & æſtivo tempore octo pluresque hebdomadas improbo illo morbo conflictaretur. Et licet plurimorum præſtantiſſimorum Medicorum imploraverit opem, a malo tamen liberari haud potuit. Poſtremo qvoqve qvinqve hebdomadas decoctis ſudoriferis uſus eſt, quæ cum eidem nullum prorſus afferrent ſolamen, tandem ſalivationis obiit curam, qvæ eidem tam feliciter cesſit, ut tres annos vegetus incolumisque vixerit. His vero elapſis in priſtinum morbum cum notabili artuum lasſitudine conjunctum incidit, cauſam ejus alimentis fumo induratis & ſale conditis tribuens. Quare verno tempore ad thermas properavit, & præmiſſo laxativo

viginti

viginti circiter dies paulatim ad triginta ollulas aſcendendo aquas potavit, & novem balneo dedit ita, ut tres diſtinctas curas perfecerit. Durante cura nullum incommodum præter dolorem in genibus ſenſit, hinc etiam eidem pilulæ ſaltem purgantes in fine cujuslibet potationis exhibitæ fuere. Cura vero nondum peracta omnis conſopitus fuit dolor, vigoremque ac robur inſigne recuperarunt artus. Et licet domum reverſus integra frueretur ſanitate, tamen eodem anno & qvidem autumnali tempore majoris præſervationis gratia uſum thermarum repetiit tanta cum euphoria, ut hunc usque in diem firma vegetaque corporis conſtitutione gaudeat.

Vir qvidam honoratus N. qvadrageſimum annum nondum ſupergreſſus, mediocris ſtaturæ, diu lue venerea laboraverat, contra quam præſtantisſima remedia, ſalivationem puta ac decocta lignorum aliaque quamplurima adhibuerat, quibus quidem pesſimus ille morbus fere profligatus fuit, doloribus tamen articulorum, manuum ac pedum exquiſitisſimis, tantaque manuum cumprimis debilitate, ut easdem commode elevare nequiret, nec non tophis crurum aliarumque partium remanentibus. Quare copioſisſimis medicaminibus fruſtra adhibitis anno 1707. thermis ſe commiſit, iisdemque ita uſus eſt, ut praemiſſo laxativo tres diſtinctas perfecerit curas, cuilibet potationi ſeptem, balneo vero non niſi unum diem impendens. Priores periodi parum ſolaminis eidem attulerunt, doloribus ſaltem nonnihil remittentibus, poſtrema vero cura tam exoptati fuit ſucceſſus, ut conſopitis doloribus notabile robur manus pedesque debilitati acquirerent, ſomno ſimul & ciborum appetitu redeunte. Domum reverſus ad disſolvendos plenarie tophos decocto lignorum tanta cum euphoria uſus eſt, ut & illis abactis ſanitatem ex voto recuperaverit, qua licet fruens, præterito tamen anno majoris præſervationis gratia uſum thermarum repetiit, qui eidem tam bene cesſit, ut etiam hodie recte & bene valeat. Vir nobilitate clarus N. quinquaginta circiter annorum, gulæ ceterarumque non naturalium rerum abuſui indulgens, podagram tumo-

remque pedum œdematoſum ac tantam eorundem debilitatem ſibi contraxerat, ut vix ambulare potuerit. Quare anno 1700. vernali tempore ad thermas contendens iis ita uſus eſt, ut non neglectis evacuantibus tres diſtinctas abſolverit curas, cuilibet potationi ſeptem, balneo vero quatuor dies impendens. Durante cura melius ſe non habuit, quin potius aquæ aſſumtæ, (epotabat vero ſingulis mane circiter triginta ollulas,) tumorem œdematoſum auxerunt notabiliter, quem tamen balneum, quo mane & veſperi quatuor horas utebatur, ex voto rurſus diſcutiebat, remanente interim crurum debilitate ſumma. Parum proinde thermarum uſu contentus, eas linquebat, aſt vix uno alteroque menſe elapſo paulatim pedes priſtinum acquiſiverunt robur, atque ab illo tempore & a podagra, & a tumore pedum œdematoſo, & ab eorundem debilitate immunis perſtitit, præſervationis ſaltem gratia uſum thermarum binis vicibus repetens.

Vir qvidam generoſus, V. ſucci plenus, quadrageſimum annum nondum ſupergreſſus, ceteroquin ſanus, pila frequenter ſe exercens, propter violentam humeri diſtractionem, totius brachii debilitatem inſignem, & exqviſitum articuli humeri ſuperioris dolorem contraxerat. Contra qvas moleſtias varia quidem adhibuerat, ſed fruſtra. Qvare An. 1706. verno tempore & interne, & externe thermis noſtris tanta ſucceſſus felicitate uſus eſt, ut cura nondum finita ab omni cruciatu liberatus fuerit, ac paulatim priſtinum robur acquiſiverit. Optime vero poſt quamlibet potationem lintea, fervidis aqvis imbuta, humero adfecto applicabat, eodemque balneo inſidens aquas fervidas guttatim ſtillanter excipiebat.

§. XXI.

Ne autem prolixiore hiſtoriarum recenſione lectori tædium parere videar, plures mihimetipſi notas, ſilentio impræſentiarum prætereo, præcipue cum allatæ non obſcure præſtantiſſimum thermarum uſum in morbo articulari probent atque confirment. Qvamobrem ad cautelas ante, in & poſt thermarum uſum perveſtigandas jam provehimur. Quibus thermas

adire

adire animus eſt, optime ſibi conſulere videntur, ſi ingenue Medico experto ætatem, corporis conditionem, morbi cauſas, ſymptomata ſimilesq; circumſtantias ſcitu perneceſſarias indicent, qvo ſic tempeſtive diſcant, an thermarum uſus iis congruat, nec ne? Medici vero cordati eſt, ut ad eventum morbi curæqve circumſpecte prædicendum partim diætæ, partim conſtitutionis ægri, partim morbi ipſius rationem habeat. Nam qvod ad diætam attinet, hanc multum variare articularis morbi eventum, ii clarisſime docent, qvi qvibusvis acidis, ſalſis ſimilibusqve intemperanter veſcuntur, aut alios graviores errores ratione aëris, veneris, animi pathematum &c. committunt, utpote qvi licet thermas freqventent, aliisve generoſisſimis utantur remediis, plerumqve tamen in freqventes & atrocisſimos incidunt paroxyſmos. Cum e contrario alii vel ſola diæta exacte obſervata morbi atrocitatem haud parum leniant temperentque. Quare quo magis quis gulæ ac rebus ceteris, quas nonnaturales nuncupant Medicorum filii, indulget, eo minorem convaleſcentiæ ſpem habebit, cujus vero fiet compos, ſi tempeſtive diſcat, intemperantiæ ſtimulos temperare ac penitus extingvere. Nec parum ad eventum hujus morbi variandum ægri conſtitutio facit. Nam quando is in juvenili vel virili ætate eſt conſtitutus, ſanitatis recuperandæ ſpes imminet, qva privantur plerumque ſenectute confecti, quippe quorum vires ſunt effœtæ, & humores intemperati. Interim ad dolores molliendos ac paroxyſmos frequentiores præpediendos, & thermarum noſtrarum & aliorum medicamentorum convenientium uſus iis apprime conducit, quibus interdum, rariſſime licet plenarie, a malo illo liberantur. Præterea quibus appetitus viget, & non adeo inſigni humorum intemperie laborant, iis ſpes profligandi morbi adfulget, cujus cura ægrius aut plane non ſuccedit, quando chylificatio extreme eſt læſa, ac humores in ſcorbuticis, cachecticis & lue venerea laborantibus maxime ſunt intemperati, & obſtructiones viſcido-tartareæ glandulas meſenterii aliarumque partium internarum occupant, vel partes quædam internæ jam dum exeſæ ſunt atque exulceratæ. Niſi enim malis hisce primum medearis, parum ſpei de propel-

lendo articulorum morbo concipere poteris. Neq; exiſtimandum eſt, thermarum noſtrarnm uſum adeo eſſe catholicum, ut promiſcue cuilibet articulorum affectui conveniat. Licet enim arthritidis natura uſui earum non repugnet, tamen ſæpius certæ circumſtantiæ eundem prorſus prohibent. Nam qvantumvis aquarum harum uſus internus chylificationi læſæ corrigendæ, & ſtomacho ac inteſtinis debilitatis corroborandis haud parum conferat, præcipue ſi aquæ modice in principio epotæ, vel ſponte, vel ſtimulantibus, corroborantibus ac purgantibus ſimul propinatis, pedetentim per alvum, ſudorem & urinam reddantur; tamen ſi eædem, cautelis hisce licet obſervatis, ſtagnent, & exitum conſvetum inveniant paucum vel nullum, ac præterea imum ventrem inflent, anxietates præcordiorum, vomitus contumaces, neqve continuato uſu aqvarum, neqve ſtomachicis aliisque appropriatis conſopiendos, appetitum dejectum, ſomnum turbulentum, laſſitudinem totius corporis, ſimiliaque ſymptomata excitent, cogitabis potius de medicamentis aqvas ſtagnantes, evacuantibus, qvam de ulteriori inani ſæpius, imo noxio earundem uſu. Nec minori circumſpectione indigent cachectici. Licet enim thermæ noſtræ heroicum vere præbeant remedium ad cachexiam, qvæ præſtantiſſimorum medicamentorum vim ſubinde eluſit, corrigendam tamen caveat ſibi Medicus, ne inmoderato aquarum uſu præcipue in principio curæ in ſuffocationis aut mortis periculum præcipitet ægrum, ſed eo potius ingenii ſui nervos intendat, ut qvotidie aqvarum operationem attente expendat, & ad hujus conditionem modo congrua remedia ſimul exhibeat, modo minorem vel majorem aqvarum copiam ſvadeat. Et qvamvis omnibus pene ſcorbuticis, ceteris ſcilicet paribus, thermarum noſtrarum uſus eximie conducat, utpote qvibus inſignis vis ineſt, ſales ejuſcemodi edulcorandi, & per conſveta emunctoria evacuandi; tamen lue venerea actu laborantes non impune nec citra maximum periculum experientia teſte eundem ferunt. Qvod ſi vero malum illud vel mercurialibus aliisve medicamentis temperatum aut curatum fuerit, doloribus tamen articulorum, vel a reſiduo mercurio, vel ab alia

qva-

qvadam acrimonia ortum ducentibus, adhuc reſiduis, dici non poteſt, quam ſalutaris effectus thermæ noſtræ ſint tempore illo. Prorſus vero ab iisdem abſtineamus, ſi pulmo, vel hepar, vel glandulæ meſenterii, aliæve ejusmodi partes internæ ſcirrhoſo tumore multum ſunt obſeſſæ. Quantumvis enim aquæ noſtræ ſubtilisſimo principio ſint imprægnatæ, & ſale reſolvendi vi pollente turgeant, hincque obſtructionibus, a coagulatis ſaltem ac viſcidis humoribus vel ſubſtantia tartarea non nimis concreta & indurata ortum trahentibus, aperiendis maxime ſint idoneæ, tamen copioſe aſſumtæ ſcirrhum diſſolvere, tubulosque taliter obſtructos pervadere dum nequeunt, facile dolores, anguſtiam pectoris ſummam, rupturam vaſorum, & inde pendentem hydropem excitabunt. Quale judicium quoque eſto, ſi partes in ſupremo, medio & infimo ventre contentæ, paucula imi ventris viſcera ſi excipias, ſunt exulceratæ; nam & tales non citra periculum ſummum aquis interne uti, experientia ſatis ſuperque teſtatur. Tandem ad prognoſin ſolerter formandam ipſius affectus natura & ſymptomata concurrentia probe ſunt ponderanda. In eo autem omnes cordati conveniunt, quod morbus articularis non nimis inveteratus plenarie curari queat, aſt quo altiores egit radices, eo curatu eſt difficilior. Hinc uti medicamentis frequentiores paroxyſmos præcaveamus, & dolorum atrocitatem minuimus, ita non modo conſimile ſolamen experiuntur, qui crebro ad thermas Carolinas ſe conferunt, verum etiam quandoque penitus a morbo illo liberantur. Quod autem ad ſymptomata ſpectat, hæc quidem maxime ſunt moleſta, aſt raro lethalia, niſi forſan materia peccans nocivo topicorum uſu ad interiora fuerit retropulſa, hæc enim ſi tempeſtive haud expellatur, ſæpius in ſummo mortis periculo conſtituitur æger, eidem vero evacuandæ ſpeciatim thermæ noſtræ conveniunt, utpote quibus vix præſtantius remedium excogitari poteſt, modo eæ tempeſtive & circumſpecte in uſum adhibeantur. Quod autem ad tophos nodosque articulorum, contracturam, & inſequentem paralyſin ſpectat. Sane plerique Medicorum nodoſam podagram, chiragram &c. iis annumerant affectibus,

 qui

qui omnium pene remediorum efficaciam eludunt, cum rariſſime accidat, ut talismodi affectus plenarie curetur. Quare rara ſunt exempla eorum, qui thermarum noſtrarum uſu plenarie fuerunt curati. Interim vero eædem ſæpius magnum adferunt ſolamen, quatenus & interno & externo earundem uſu tophi, articulis adhærentes, molliuntur, ut rupti tandem materiam ſeroſo-tartaream plorent, quo ipſo ſimul dolores mitigantur, & paroxyſmi frequentiores protrahuntur. Quod autem ad articularem morbum, cum unius pluriumque partium contractura conjunctum, attinet, profecto & hic multum negotii facesſit Medicis, quippe qui quamplurima tentant, parumque ſubinde proficiunt, hinc tandem curæ odioſæ dum eos tædet, ægrotantes ſuos nonnunquam præpoſtere ad thermas noſtras ablegant. Licet autem vere plurimi contractura laborantes poſt uſum quampluriorum præſidiorum tandem uſu illarum aquarum priſtinæ ſanitati fuerint reſtituti, præcipue ſi ea a doloribus exquiſitis & muſculorum tendinibus ſpaſmo laborantibus ortum traxerit, tamen exiſtimandum non eſt, quod omnem contracturam indiſcriminatim emendare queant. Nam ſi chronica eſt, curatu eſt difficilior, & ſæpe tales ægri non niſi ſolamen ex thermis reportant, quatenus dolores conſopitos ſentiunt, & ad notabile temporis ſpatium a novis dolorum tentationibus immunes vivunt, majusque robur in debilitatis membris perſentiſcunt. Quale judicium quoque eſto, ſi contractura a tartaro, articulorum cavitates occupante, & oſſa, articulata dislocante, natales ſuos deduxerit. Tandem quod ad paralyſin, articularem morbum inſeqventem, ſpectat, tametſi hæc congruis remediis adhibitis multoties ex voto curatur, tamen nec inficias ire poſſumus, irrito ſucceſſu ſæpius eadem adhiberi. Quare ejusmodi ægrotantes ad thermas cum alias, tum Carolinas velut ad ſacram anchoram rurſus confugiunt, & in iis vere membra debilitata roborantur, ac priſtinum ſubinde vigorem recuperant, modo non nimis diuturnum fuerit malum, & æger reiteratis vicibus iisdem utatur.

§. XXII.

§. XXII.

Hiſce cautelis probe præponderatis, non immerito jam quæſtio movetur, qualenam tempus ad curam futuram ſit omnium optimum? Equidem præpotens Numen aquis hiſce ſalutaribus tam eximias vires indidit, ut eaſdem quovis anni tempore, æſtivo, hyberno aliove conſtanter exſerant, cum tamen cœlum æſtuoſum, vel intenſe frigidum minimeque clemens ac inſalubre ejusmodi curæ minus congruere videatur, & ſpeciatim arthriticis maxime ſit infeſtum, ver adultum, & poſthinc autumnus iniens reliquis anni temporibus facile palmam præripit. Præterea non abs re fore, arbitror, hic ſimul diſquirere, an appropinquante, vel jam inchoato, aut demum profligato paroxyſmo uſus thermarum conveniat? Id omnino non ſimplici vice obſervavi, plures citra moleſtiam ullam, novique paroxyſmi acceſſum curam ex animi ſententia abſolviſſe, qui brevi ante thermarum uſum graviorem paroxyſmum perpeſſi fuere. Si itaque accidat, ut & anni tempus ſimul faveat, optime ſibi conſulet æger, ſi illud ambabus amplectatur. Neque vero iis, qui doloribus pene continuis hujus, vel illius, aut plurium articulorum laborant, vel qui appropinquantem paroxyſmum præſentiunt, interdicendus eſt thermarũ uſus. Nam ut taceam non omni tempore iminentes dolores aquarum uſu provocari, aut præſentes intendi, ſed potius molliri, eſto ſane paroxyſmum novum excitari, aut præſentem nonnihil exaſperari, plerumq; tamen is cura nondum finita imminuitur, aut penitus profligatur ita, ut poſtea agiliores incolumesque diſcedant, aut domi ſalutarem effectum experiantur. Antequam vero æger itineri ſe committat, nodulo quodam laxativo ad ſaburram primarum viarum evacuandam utatur. Neque eidem Venæ ſectio disſuadenda eſt, præcipue ſi plethora ſimul, aut inſuetis ſanguinis ſuppreſſionibus, vel orgaſmo ejusdem laboret. Ceterum exactam diætam ſervet, & hilari animo iter ingrediatur.

§. XXIII.

Itinere vero feliciter defunctus non ſtatim in calidam ſe immergat, ut in ſe aquas plenis faucibus ingurgitet, ſed unum alterumque diem corpori defatigato quietem concedat, poſteaque

que laxans vel purgans ſumat. Licet enim aquæ jamdum vim habeant alvum laxandi, tamen primas vias ab excrementiciis, nidoroſis, aliisve nocivis particulis repurgare convenit, ne iisdem, aquarum vi ad ſanguinem translatis, intempeſtivo paroxyſmo arthritico materia ſubminiſtretur. Medici vero eſt, ut modo laxans, modo purgans ægrotanti propinet, prout ſcilicet majorem minoremve ſaburræ copiam, in ventriculo & inteſtinis ſtabulantem, non dubiis indiciis colligit. Parum vero referre videtur, ſive æger veſperi utatur purgante, & ſequenti mane curæ initium faciat, ſive mane id aſſumat, & demum inſequenti die curam auſpicetur. Interim ſi laxans, ſaltem benigne alvum ſubducens, fuerit exhibitum, præſtat idem veſperi aſſumere, ſic enim aquæ, proximo mane hauriendæ, alvum jamdum laxam laxiorem reddent, & citra remoram exitum invenient. Quod ſi vero animus eſt, purgans paulo fortius præſcribere, ita ut ſuſpicemur, corpus debilitatum iri, ſatius eſt, mane idem porrigere, quo ſic vires nonnihil fractæ interea temporis inſtaurentur. Præmiſſo laxante, curæ initium bono cum Deo fiat. Nonnulli præcipue ſi actu podagricis ſimilibusque doloribus torquentur, balneo primum utuntur, & poſtea conſopitis doloribus ad potationem progrediuntur, qualem methodum non citra euphoriam dux qvidam belli ſervabat, qui quantumvis tantum non omnes Bojemiæ Germaniæ pluresque exterarum regionum fontes viſitaſſet, cunctis tamen noſtras præferebat, cum nullibi tantum ſolamen invenerit. Nihilo tamen ſecius hæc ipſa methodus temere imitanda non eſt, qvoniam ejusmodi balneum ſubinde magis nocumento, quam emolumento eſſe poteſt, præcipue corpore nimis impuro exiſtente. Proinde conſultius eſt corpus aquarum miniſterio probe perpurgare, antequam idem balneo committatur. Supervacaneum vero prorſus duco hic prolixe deſcribere, quomodo aquæ ſint potandæ, & pedetentim augendæ, usque dum æger liberale alvi, urinæ & ſudoris ſentiat profluvium, cum hæc cuncta admodum ſint nota, & a Cl. *Strauſſio* l. c. exacte deſcripta, inſuperque Medici præſentis ſit, ut pro diſcrepante morbi, ægrotantis aliarumque circumſtantiarum conditione modo majorem,

modo

modo minorem aqvarum copiam ſuadeat, nunc potationem abrumpat, nunc protrahat. Id enim omnes ingenui mecum facile fatebuntur, non omnibus eandem & potandi, & balneandi methodum convenire. Quare illorum mos approbandus non eſt, qui ad thermas appellentes diſceſſus terminum ſtatim Medico indicant, eumque curam nondum exorſi jam ſibi præfixum habent, cum ſane multum interſit, aliquando curas protrahere. Non poſſumus autem non ſimpræſentiarũ duas quæſtiones proponere, an imminente aut præſente paroxyſmo podagrico ſimilive potationem continuare, & an durante cura medicamenta ſimul propinare fas ſit? Non nemo mihi eſt notus, qui appropinquante paroxyſmo potationem ſtatim abrumpebat, & illico ſe in calidam immergebat, quo ipſo novum paroxyſmum præpediebat, & citra remoram ullam periodos & potationis & balnei ex voto abſolvebat. Quantumvis itaque hæc methodus omnimode rejicienda non ſit, tamen, corpore adhuc nimis impuro exiſtente, non temere potatio eſt intercipienda, quin potius continuanda, ne balneum intempeſtive adhibitum majus damnum, quam emolumentum adferat. Quale judicium quoque eſto, ſi dolores interno aquarum uſu fuerint actu provocati; namque eo opera omnino eſt navanda, ut ſordes corporis, probe eluantur, anteqvam ad balneum acceſſus fiat. Imo ſæpe excitati dolores ita ſunt comparati, ut his non obſtantibus æger vel bene, vel mediocriter comedat, dormiatque iidemque continuato uſu imminuantur ac leniantur. Quodſi vero cruciatus qvotidie tantum incrementum capiant, ut æger omnes cibos averſetur, parumque vel nihil dormiat, febrilemque inſultum ardore inſigni moleſtum ſentiat, totumque corpus multum debilitetur, convenientius eſt, potationem finire, ne eadem pertinaciter continuata in majus periculum conjiciatur æger. Quam tamen mitigatis illis ſymptomatibus cum euphoria redauſpicabitur. Quod ad alteram quæſtionem, an ſcilicet durante cura medicamina ſimul exhibere conveniat, attinet, hæc ſatis eſt ſpinoſa, præcipue cum nonnulli eadem rejiciant alii vero præter neceſſitatem ægrotantibus

tantibus obtrudant. Quid enim, quæſo, opus eſt medicaminibus, ſi quis bene valet, & aquæ alvum frequenter ſolvunt, ſudoremque ac urinam provocant? Quid iisdem porro eſt opus, ſi moleſtiæ leviores accidunt, quas vel ſolus aquæ uſus continuatus lenit abigitque? Proinde præter neceſſitatem urgentem medicamenta propinanda non ſunt, neque tamen iisdem omni tempore ſuperſedere poſſumus. Quis enim, illi vitio vertet, qui aquis ſtagnantibus, variasque turbas excitantibus, modo laxantibus ſale puta thermarum, Eſſentia quapiam catholica purgante, aliove appropriato cathartico modo diureticis, liqvore ſcilicet terræ foliatæ tartari, tinctura antimonii tartariſata, ſimilique exitum paret, aut, qui ventriculum debilitatum, anorexia laborantem, Elixirio propr. rite parato, aliave Eſſentia ſtomachali corroboret, vel flatus, quos copioſe ſubinde thermæ procreant, ſale qvodam volatili aromatico, aliisve carminativis disjiciat, vel æſtum corporis intenſum nitratis compeſcat, vel nimis ſævientes dolores appropriatis antiſpasmodicis & anodynis molliat, aliisque ſymptomatibus gravioribus obviam eat, atque in fine potationis cujuslibet purgans præſcribat. Equidem eodem non ſemper indigemus, ſed ſatius eſt, ab eo abſtinere, ſi æger nimis fuerit debilis, & aquæ epotæ largiſſime per varia corporis emunctoria exitum invenerint, nec primæ viæ ſenſibiliter cruditatibus turgeant, tamen aquis ex voto haud evacuatis cruditatibusque primarum viarum adhuc dum præſentibus, tantum abeſt, ut purgans omitti debeat, ut potius idem maximæ ſit neceſſitatis. Ni enim aquæ tempeſtive evacuentur, hæ balnei tempore ſubinde inflationes hypochondriorum, tormina imi ventris, ſimiliaque excitant ſymptomata. Et licet thermæ ſordes ventriculi & inteſtinorum abſtergant & eluant, tamen cruditates pituitoſas ſimilesve emolliunt magis, quam evacuant, hinc appropriato vomitorio vel purgante propinato, dici non poteſt, quantū ſaburræ modo per ſuperius, modo per inferius guttur excernatur, quod ſane non poteſt non ſolatio exiſtere ægrotanti.

§. XXIV.

§. XXIV.

Quod ad balneum attinet, in eo tradendo prolixus non ero, ſolum inquiſiturus, an paroxyſmo præſente balneum conducat, & an idem omnibus promiſcue conveniat? & quomodo ſymptomatibus concurrentibus tempeſtive ſit proſpiciendum. Sane topicorum uſum non æquabiliter morbo correptos ferre, autopſia ubertim confirmat; quippe ſæpe id, quod uni ſolatium peperit, alteri majora tormenta adfert. Proinde præſentis Medici eſt, ut attente animadvertat, utrum balnei uſu dolores intendantur, nec eodem unum alterumque diem continuato conſopiantur, ſed magis magisque exaſperentur, & præterea intenſus corporis æſtus, vigiliæ, anxietates, ſimiliaque prava ſymptomata excitentur, quo tempore conſultius eſt, ut Medicus de mitigandis illis ſymptomatibus ſit ſolicitus, antequam ulteriorem vel potationis, vel balnei uſum ſuadeat. Interim non qvivis dolor eidem tantum incutiat terrorem, ut juſto timidior curam præter neceſſitatem abrumpat, ſed eandem potius continuet, præcipue ſi dolores nonnihil aucti pedetentim imminuantur, vel æger magis de doloribus, quam de totius corporis æſtu, anxietatibus, vigiliis aliisve ejusmodi ſymptomatibus conqueratur. Plures podagram ſimilemque morbum articularem in frigidum & calidum diſpeſcunt, exiſtimantque, illi balneum, huic non æque convenire. Et vere negari nequit, membris dolorificis haud exterius inflammatis, nec ſenſibiliter intumefactis, aut tumore œdematoſo obſeſſis mirifice balneum conducere, ſed an iisdem externe inflammatis, & æſtu ſatis moleſtis balneum prorſus non conveniat, ego quidem valde dubito, præcipue cum experientia teſte, aliquando ejusmodi ægri haud contemnendum ſolamen ex eodem reportent. Et recordor cujusdam qui ad thermas translatus podagra & chiragra ita laborabat, ut lecto affixus manuum pedumque uſura eſſet orbatus. Is ad mundificandum corpus quinque vel ſex dies aquas potabat, inflammatorio tumore interea temporis non decreſcente, ſed accreſcente, hinc aquis reſiduis & impuritatibus catharctico pro-

 pina-

pinato evacuatis, ſuaſor eidem fui, ut balnei vires experiretur, hinc quatuor famuli eum ulnis excipiebant, & in balneum deportabant, qvod eidem tam feliciter cedebat, ut altero mane duobus ſaltem adjutus balneum intraret, & tertio die ſolus idem repeteret, poſtea vero, viribus quotidie redeuntibus, univerſam curam citra moleſtiam ullam abſolveret. Quare nec podagræ, nec alii ejusmodi articulari morbo, qvem calidum vulgus nuncupat, balneum eſt nocivum; modo cautelæ ſupra commemoratæ probe animadvertantur. An vero idem lavandi modus omnibus arthriticis indiſcriminatim conveniat, merito dubitatur. Equidem aquæ lactis, ex uberibus vaccæ immediate expreſſi ad inſtar tepidæ omnium ſunt convenientiſſimæ, utpote quæ omnibus, quibus balneum congruit, eximie conducunt, tamen qvorum ſangvis particulas viſcidas immixtas habet, & ad exæſtuationes minus eſt pronus, ii etiam cum euphoria paulo calidius ſufferre poterunt balneum, ut adeo non ſemper ſudor in eo prorumpens adeo ſit contemnendus, præcipue ſi is citra anxietates aliasve turbas corporis internas accidat. Quoniam vero hic ſumma opus eſt cautela, Medicus eo collaborabit, ut ne æger callidiori abutens graviorem ſibi acqvirat morbum. Minori periculo iis, quibus paulo calidius balneum convenit, thermæ molares, vulgo Mühlen-Bad ſvaderi poſſunt; hæ enim aqvis, ex principe fonte promanantibus & ad balneum adaptatis ſunt calidiores, & propter continuum aquarum affluxum conſtanter eundem teporem retinent, atque ſudorem citra turbas excitant. Iis autem prorſus aſſentiri nequeo, qvi frigido magis, quam tepido utuntur balneo. Eqvidem iis, qvi ſani ſunt, aut affectu levioris momenti laborant, ejusmodi frigidæ aquæ ſenſibile damnum haud adferent, eæ tamen arthriticis nocumento erunt inſigni, qvoniam iis pori partium magis occluduntur, humoresq; condenſantur, ac obſtructiones augentur, & tophaceis concretionibus non inepta datur occaſio. Ceterum an æger ad umbilicum vel ad axillas balneo inſidere, an ſingulis diebus ſaltem mane aut etiam ſimul veſperi ſe eidem committere, quamdiu in iis comorari, balneiq; uſum

conti-

continuare debeat, merito præſentis Medici judicio relinqvitur, qvi, pro circumſtantiarum varietate hanc illamve methodum balneo utendi ægrotanti indicabit. Qvod ad ſymptomata, balneum concomitantia, attinet, nolo jam crambem bis coctam apponere, & ſymptomata, in hac & antecedenti theſi recenſita, tædioſe repetere, ſed ſaltem qvæ in ipſo balneo ex improviſo accidunt, nec non ſtypticitatem alvi & ſitim commemorabo. Nonunqvam, qvi in thermas nimis calidas ſe conferunt, in anxietates, freqventiores cordis pulſus, oculorum caliginem, vertiginem aut prorſus in animi deliqvium prolabuntur. Qvare uti culpandi ſunt ægri qvi temerario auſu & non citra ſummam periculum balneo hujusmodi abutuntur, ita iis ſerio inculcandum, ut extemplo linquant thermas, ſi anxietates, caliginem oculorum ſimilesqve prodromos mox inſeqventis lipothymiæ ſentiant, in hanc vero prolapſos clamore, vellicatione, cardiacis & externis & internis ſuſcitare ac refocillare decet. Qvod ad ſitim & alvi ſtypticitatem attinet, hæ qvidem omnis balnei non ſunt individuæ comites. Qvantumvis enim multi exiſtiment, balneo ineſſe vim alvum obſtruendi, ſæpe tamen fallacia ſubeſt, cum ordinarie ante balneum pilulæ purgantes, alvum ſexies pluriesve ſubducentes, præſcribant ut hinc non mirum, ſi mox alterodie alvum haudexinaniat æger, aut is jamdum ejusmodi obſtructionibus ſit aſſvetus, plures enim, qvi ſingulis diebus una alteraqve vice ſellam perforatam petere ſolent, balnei cura durante alvum apertam ſervare, multifaria edocet nos experientia. Qvod ſi vero biga horum affectuum balneo ſuccedat, moleſtiamqve ægris creet, bonus hauſtus vel ipſarum thermarum, vel qvod magis plerumqve ægrotantium palato arridet, acidularum Egeranarum, aut etiam illarum, qvæ haud procul a thermis Carolinis ſcaturiunt, utriqve ſatisfacere poterit. Qvod ſi vero nec tunc alvus officii ſui ſit memor, paſſulis, prunis, aut alio leniter laxante medicamento utatur æger.

§. XXV.

Aſt qvid juvat ſtatis certisqve temporibus aqvas aſſume-

re, & in balnea ire, omnesqve cautelas probe animadvertere, niſi exacta diæta ſervetur. Proinde uti hypocauſta nimis calefacta approbanda non ſunt, ita frigus magis adhuc eſt vitandum, neqve temere domu egrediatur arthriticus, pluvioſa ac nebuloſa tempeſtate exiſtente, vitet cereviſiam acidam, mucidamqve ac nimis recentem, aut vinum terreſtre aliumve potum glacie refrigeratum, ab alimentis acribus, acidis, ſalſisqve abſtineat, & ut paucis me expediam, qvævis, qvæ huic malo fomitem præbere poſſunt, qvæqve occaſione cauſarum accaſionalium prolixe propoſita fuere, ea, qva par eſt, diligentia vitet. Namqve eum cumprimis in finem cauſas procatarcticas, variis exemplis illuſtratas dedimus, ut qvivis aliorum exemplis edoctus cautius mercari diſcat, atqve durante finitaqve cura diætæ exactæ ſtudeat. Nonnulli abſoluta cura in thermas Teplicenſes ſe conferunt, & iisdem ad corroboranda membra utuntur. Licet vero hanc ipſam methodum omnimode haud rejiciam, neqve etiam earum viribus, qvippe qvæ ſunt eximiæ, nihil detrahere velim, caveat tamen ſibi æger, ne balneo multum calidiori noſtro, qvod non omnes arthriticorum impune ferunt, vel ſudore affatim prolecto, novoqve potu inconſveto propter ſitim intenſam, qvæ balnei uſum illic loci ordinarie comitatur, largiter aſſumto curam anteactam turbet, intemperiemqve humorum correctam ſibi rurſus contrahat. Domum tandem reverſus æger non male ſibi conſulet, ſi adhuc ſemel laxante utatur. & poſtea ab omnibus medicamentis aliqvandiu penitus abſtineat, niſi ſumma necesſitas eorundem uſum ſvadeat urgeatqve. Nam id infinita propemodum experientia conſtat, ſanitatem uno alteroqve ac pluribus menſibus demum elapſis inſenſibiliter rediiſſe. Hanc itaqve ne turbes tibi curæ eſto. Atqve ſic finem diſſertationi huic bono cum Deo imponimus, atqve qvoſvis cordatos enixe rogamus, ut ſi qvæ dubia minusqve accurata ipſis videantur, nobiscum candide & amice communicent, qvippe qvibus animus ſedet, ſi Deus vitam & ſanitatem largiatur, nec publico his labor fue-

rit

rit ingratus, eundem pertexere; Momos vero, anteqvam intempeſtivum & ſæpe perverſum ac corruptum judicium forment, qva decet humanitate rogatos volo, ut ſuasmet vires probe explorent, hæ enim plerumqve ita ſunt comparatæ, ut qvævis bona theonino dente rodere, aſt meli ora proferre neqveant.

S. D. G.